



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Qvæstio X. De æternitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

ergo Angeli mortalitatem habent, desinereque A suæ naturæ possunt.

Præterea, quoniam in 6. Synodo generali in epistola Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani, que habetur actione 11. & approbatur tamquam orthodoxa ab vniuersa synodo actione 13. dicitur, intellectuæ & inuisibilitæ non mori, & corrupti, ut sensibilia, qua flunt & transeunt: non tamen esse immortalia per naturam, sed per gratiam ea à morte, & corruptione coërcentem.

*Potest pas-  
sua aut qua-  
pissima,  
aut natura-  
lis, aut logi-  
ca.*  
*Prima con-  
clusio.  
Angeli suæ  
naturæ  
sunt immor-  
tales per cau-  
sa natura-  
lis.*  
Supposita distinctione illa potentia passiuæ, aut quasi passiuæ in naturalem & logicam, supposito que hanc non aliud esse, quâm non repugnâri, vt sit id quod secundum eam dicitur possibile, que omnia latè exposuimus cum Aristotele 2. de interpretatione c. 3. sit prima conclusio. Angeli suæ naturæ mutari nequeunt substantialiter per causas naturales ab esse ad non esse, neque in eis est potentia aliqua naturalis ad talen mutationem, & ideo suæ naturæ, quemadmodum sunt simpliciter immortales comparatione causarum omnium naturalium, & non ratione alieñi doni superadditi, vt erant primi parentes in statu innocentia, & erunt beati post corporum resurrectionem: ita postquam semel esse à Deo accepérunt per creationem, sunt entis suæ naturæ necessaria, si ad causas naturales referantur. Hec cōclusio est quam D. Thomas hoc loco & aliis citatis intendit, & tantum abest vt parum fidei sit consona, vt & principiis philosophia, & doctrina fidei sit maximè consentanea. In concilio namque Lateranensi sub Leone 10. sessione 8. damnantur, qui affirmat animam rationalem, saltem secundum philosophiam, esse mortalem. Quod si anima rationalis, n. que secundum neg. dñm philosophiam mortalis est, vtique suæ naturæ est immortalis, eo quod suæ naturæ, seclusa mortali, solum quoquæ dono supernaturali, non habeat, vnde vi causarum naturalium corrupti, defineré posse: idem vero maiori cum ratione de Angelo est dicendum, & pari etiam ratione de celo. Quare, eo ipso quod esse accepterunt, entia

*hæc &  
ut ipso quod  
est ex ea  
est ex  
causis  
naturali  
naturæ.*  
*Angeli  
sunt  
naturæ  
sunt  
immor-  
tales per  
causa  
naturæ.*  
ut ipso quod esse accepterunt, entia

non esse, sed omnis est primò ad esse, vt materia prima ligni ex eo est potètia ad non

esse ligni, quod est potentia ad esse ignis, quod pugnat cum esse ligni in eadem materia, quare cum in angelis non detur aliquid, quod sit potentia ad aliud esse, quod pugnat cum esse angelii: vt in eo

non detur potentia realis ad non esse. Celi vero, si

materiam habent specie distinctam à materia inferiorum corporum, cum careant potentia ad aliam formam, carent etiam potentia ad non esse. Si vero

materiam habent eiusdem specie cum materia

corporum inferiorum, dicendum est à forma Celi,

que neque qualitatè alieñi contrariam secum patitur, neque illam vt dispositionem exigit, pro-

uenire, quod vi agentium naturalium corruptionis

expertes sint, definereque nulla ratione queant: de

qua re infra dum de opere sex dierum sermo erit.

Secunda conclusio. Angeli, ac celi possunt non

esse per potentiam diuinam, datürque in eis poten-

tia, non quidem realis ac naturalis, sed logica (id

sunt per pa-

ct. non repugnantia, vt non sint per potentiam di-

uinam) fundata in ipsorum naturis: quare suæ na-

tura possunt non esse collatione facta cum poten-

tia diuina. Hanc intendit etiam D. Thomas hoc

Molina in D. Thom.

loco, & alibi citatis, dum docet, Angelos accélos posse non esse, non quidem per potentiam in se, sed per potentiam in Deo. Loquitur enim de sola potentia reali, neque negat potentiam logicam in naturis eorum fundatam comparatione potentia diuina. Hanc & præcedentem conclusionem satis perspicue paucis ostendimus supra q. 3. art. 4. disputatione 1.

Ad argumentum igitur Aureoli dicendum est, angelos secundum suam naturam non posse definiere, sed necessariò esse, comparatione dumtaxat agentium naturalium, nō verò comparatione Dei.

B Quando vero infert, quod si id ita esset, tu se secundum suam naturam non possent non esse, admittenda est sequela, si sermo sit de potentia naturali, & comparatione agentium naturalium: neganda vero est, si sermo sit de potentia logica comparatione potentia diuina: quando vero ulterius subsumit, id quod secundum suam naturam non possit non esse, neque diuina potentia posse non esse, neganda est minor, si in priori parte sit sermo de eo, quod secundum suam naturam non possit non esse per potentiam naturalem, quæ in ipso ad id sit, & comparatione agentium naturalium dumtaxat, in quo solùm sensu inferuirer argumento.

Ad testimonium Pauli dicendum est, Paulum Ad secundum. loqui de immortalitate omni ex parte comparatione cuiusque potentia, quo pacto Angeli immortales non sunt, sed solùm comparatione agentium naturalium.

Ad testimonium vero Sophronij dicendum est, hunc habere sensum intellectualia non esse immortalia per naturam, vt Deus est, quasi suæ naturæ non habeant potentiam logicam, seu non repugnantia, vt non sint per potentiam diuinam: esse vero immortalia per gratiam, hoc est, per liberum influxum Dei, quo ea conferunt, ne in nihilam redigantur. Atque haec planior & melior expatio est, quam ea, quam circa eundem locum tradit Miranda in sua summa.

## QVÆSTIO X.

De aeternitate.

### ARTICVLVS I.

Quid si aeternitas.

### DISPV TATI O I.

**A**ETERNITAS, vt Durandus in 1. d. 19. Aeternitatis q. 2. rectè ait, significare videretur durationem nominis quid interminabilem, seu interminatam. Vnde significatur.

aeternum dicitur, quasi extra terminum, aut sine termino durationis. Quod enim à parte antè termino caret durationis dicitur aeternū à parte ante: quod vero termino durationis caret à parte post, dicitur aeternum à parte post: & quod utroque modo caret termino, dicitur aeternū utroque modo. Tribus autem modis intelligi potest duratione aliquia interminata. Uno, secundum se totam, sed non secundum suas partes, quo pacto si motus celi fuisset ex aeternitate, duraretque in aeternum, tempus (quod est eius duratio) esset interminatum secundum se totum à parte antè, & à parte post, sed non secundum suas partes, quo planè terminum haberent. Alio modo potest intelligi duratione interminata, ita vt secundum nihil sui actu habeat terminum, possit tamen illum habere, quo pacto si

G Deus

Deus creasset Angelum ex æternitate, stampis est que conferuare cum in æternum, *Ægum* quod duratio est substantia Angelij iuxta eorum sententiam, qui ut inferius videbimus, recte existimat carere partibus, esseque totum simul, utique secundum nihil sui haberet actu terminum, posset tamen secundum se illum habere: tum quod in quounque instanti possit Deus Angelum redigere in nihilum: tum etiam quod potuerit Deus producere illū ex tempore, atq; adeo duratio illius potuerit habere principium à parte ante. Tertiū modo intelligi potest duratio interminata, tam secundum se totā, quam secundum quolibet sui, tam actu quam potentia, eō quod sit infinita, indivisibilis, tota simul, atque independens à quoconque alio, quo pacto sola duratio diuina dicitur interminata, seu potius interminabilis, atque haec est qua proprieatatem numeratur æternitas.

*Æternitas  
quid, in ma-  
xime propra  
significatio-  
ne.*

*Planior de-  
scriptio.*

Æternitas igitur in hac propriissima significazione ita definita à Boënio s. de consolacione, pro ultima. Est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio. Per particulam interminabilis, excluditur omnis duratio habens principium aut finem. Per particulam, tota simul, excluditur duratio successiva, quae carcer terminis, ut esset tempus, si motus fuisse ex æternitate, duraret in aeternum. Per particulam, perfecta possessio, excluditur æuum infinitum quale esset si Angelus productus esset ex æternitate, duraret in aeternum: tum quia quod terminari ac desinere potest, non perfecte possidetur: utriusque enim quoniam est quid coniunctum cum variatione ac mutatione accidentaria eius substantiae, in qua est, ut videbimus inferius, oftensumque est articulo precedente. Ponitur in definitione particula, *Vita*, ut intelligamus æternitatem non esse durationem cuiusque entis, sed viuentis, cuius esse, & duratio est vita. Potest etiam ita planius describi. Est duratio tota simul, & interminabilis omnino. Ita scilicet, ut per nullā potentiam possit terminum habere, neque in se, neque per collationem, & quasi commensuracionem cum tempore vero aut imaginario.

### DISPUTATIO II.

*Virum eternitas formaliter sit in Deo, caravatque  
successione prioris & posterioris.*

*Æternitas  
habere suc-  
cessione sua-  
detur primo.*

*Conformatio-*

*Secundū.*

*Tertiū.*

Qvōd æternitas non sit tota simul, sed successio prioris & posterioris in ea cernatur, suaderi potest primò, quia aliquid æternitatis fuit, & nō est, & aliquid erit, & non est: ergo in æternitate successio cernitur prioris & posterioris. Consequens est manifesta: antecedens vero probatur, quoniam duratio, qua Deus coextinxit diei hester- no, fuit, & non est: & duratio, qua coextinxit diei crastino, erit, & non est.

Conformatur hæc ratio, quoniam modò verum est dicere, Deus durabat ante mille annos, & dixabit post mille annos: ergo duratio ipsius partim fuit, & partim erit, ac proinde in ea cernitur successio.

Secondū, duratio, qua Deus ex æternitate durauit usque ad illud instans, in quo creauit mundū, addita est duratio, qua ab illo instans, usque ad præsens instans durauit, atque ex utraque duratione constuita est duratio, qua Deus ex æternitate usque ad præsens instans durauit: ergo in æternitate ac duratione diuina successio admittenda est.

Tertiū, omnis duratio cum altera cōparata vel est major, vel minor, vel æqualis, sed æternitas di-

A uina non est minorne q; æqualis temporis: ergo est maior illi: cū ergo intelligi nequeat duratio maior alia sine successione, & sine partibus, quarum una illa exqueratur, altera vero excedat: sit, ut in æternitate detur successio secundū prius, ac posterius.

Aureolus apud Capreolam in 1. dist. 9. quæst. i. articulo 2. in argumentis que quarto loco adducit, *sententia.*

motus, argumento, quod proximè proposuimus, atque alii similibus affirmat, in omni duratione necessarij cerni successionem prioris & posterioris: & idcirco æternitatem (quam dicit formaliter esse in Deo) non esse formaliter durationem, sed esse essentia diuina, quatenus assistit omni tempori, etiam possibili imaginatio, & quatenus sua virtute (que non est aliud, quam ipsa essentia) attingit omne tempus. *Quemadmodum enim*, inquit, *immensitas, quā Deus dicitur esse ubique, non*

*est aliud quā in ipsa essentia diuina propria virtute attingens omnia loca, eaque ratione ubique existens; ita*

*æternitas non est aliud, quam essentia diuina sua im-  
mensitas atque virtute assistens omni tempori. Quare*

*velle videtur, æternitatem esse essentiam diuinam, ut praesentem omni tempori etiam possibili*

*imaginario, quam praesentiam appellat assistentiam,*

*eaque ratione defendit, in æternitate diuina, non*

*dari successionem prioris & posterioris. Conficit*

*vero ita argumentum. Sic ut habet ad Deum*

*immensitas diuina, qua attingit omnes differentias*

*loci, etiam imaginarij, & quā dicitur esse ubique;*

*ita se habet ad eum æternitas, qua attingit omnes*

*differentias temporis, etiam possibili imaginarij,*

*eiisque assistit; sed immensitas non dicit in Deo*

*magnitudinem aliquam extensionis permanen-  
tem, qua Deus est ita ubique, sed essentiam ob sui*

*infinitam perfectionem ubique praesentem, ac to-  
tam simul: ergo neque æternitas dicit durationem,*

*ac proinde nec extensum successionem, sed ipsam*

*essentiam diuinam indivisibilem sua infinita vi &*

*essentia omni tempori etiam possibili imaginari,*

*Aureoli:  
argumentum.*

*presentem acque assistentem.*

Gabriel in 1. d. 2. q. 1. censet etiam durationem *Gabrielis* omnem includere successionem prioris & poste *sententia.*

Atamen addit, durationem cuiusque rei nihil aliud esse, quam ipsam rem, qua durare dicitur, connorando successionē, vel in ipsam, vel in alia re coexistente actu, vel potentia: ut durationem motus, quam tempus appellamus, non esse aliud, quam motū ipsum connorando successionē prioris & posterioris, quæ in ipso motu reperitur, durationem etiam Angeli, quam vocamus æuum, non esse aliud, quam angelum ipsum, qui durare dicitur, aut quām esse Angeli, connorando successionē motus existens tunc actu vel potentia, cui Angelus coextinxit. Eadem ratione durationem diuinam, quæ eternitas dicitur, ait, non esse aliud, quam Deus seu esse diuinum, connorando successionē infinitam motus existens actu vel potentia, cui Deus coextinxit. Itaque vult durationem omnem cōpleri per successionē motus, quam cōnorat, eaque ratione in omni duratione reperiendi prius & posterius. Hinc infert, res omnes creatas, quoad durationem, mensurari tempore: mensurari vero ratione motus, cui coexistunt, & cuius propria mensura est tempus, nullamque aliam esse mensuram durationis rerum creatorum præter tempus. Addit vero, durationem diuinam neque tempore, neque mensura alia mensuratur: eō quod sit infinita, infinitumque mensurari nequeat. Infert præterea, unum Angelum dici maioris, aut minoris durationis quam alium, à maiori vel minori successione motus, cui coexistit,

coexistit, & dici priorem, aut posteriorem duratio-  
ne quam alium, à priori vel posteriori successione  
motus, cui coexistit.

Prima conclusio.  
Eternitas formaliter est duratio, formaliterque existit in Deo.  
Hoc est communis Sanctorum, atque Scholastico-  
rum sententia. Probaturque primum, quoniam Deus  
ante omnem creationem rerum per infinitum tem-  
pus imaginarium, quod creationem antecessit,  
durauit duratione reali: hanc verò durationem (si  
detur) omnes appellant eternitatem: neque eo  
tempore esse potuit in alio, quam in Deo: ergo  
eternitas formaliter est duratio, formaliterque in  
Deo existit. Consequentia est manifesta: maior ve-  
rò probatur, quoniam Deus toto illo tempore  
imaginario existit existentia reali, per quam for-  
maliter coexistit realiter ex parte sua toti illi tem-  
pori: tempus verò coexistit Deo per existentiam in  
potentia, atque imaginariam: ergo Deus toto illo  
tempore durauit duratione reali, tempus verò du-  
ratione imaginaria. Patet consequentia, quoniam  
ut quæstione 3. artic. 4. disputatione 2. cum Scoto  
dicebamus, duratio rei, vel est idem cum existen-  
tia eiusdem rei, vel illam consequitur, quare si exis-  
tentia rei est realis, duration etiam est realis. Con-  
firmatur eadem major, quoniam cum Deus exti-  
terit, toto illo tempore, utique eo tempore non fi-  
bet, sed verè durauit, ac proinde dicendum procul-  
dubio est, durasse duratione reali ac vera. Minor  
quo ad priorem partem, nempe quod si detur du-  
ratio realis, qua Deus tempore infinito imaginario  
durauerit, illam omnes appellant, atque confitean-  
tur esse eternitatem, perspicua est. Quoad poste-  
riorem verò, nempe quod ante creationem rerum  
non potuerit esse in alio, quam in Deo, ex eo  
etiam est manifesta, quod tunc nullæ erant crea-  
ture in quibus esse posset.

Secundò probatur eadem conclusio, quoniam  
iuxta sententiam Gabrieli concedendum esset,  
eternitatem non esse totam simul, in eaque esse  
priùs & posterius, dñeque præsens, præteritum, &  
futurum, & insuper mensurari tempore, ut cæteras  
durationes, si non secundum se totam, eò quod sit  
infinita, saltem secundum suas partes, affirmat namque  
eternitatem compleri per successionem infi-  
nitam motus actu vel potentia existentis, cui Deus  
coexistit, cāmque includere in sua ratione formalis,  
ratione cuius prædicta omnia eternitati procul-  
dubio conuenirent. Quamvis autem non dubitum  
prædicta omnia Gabrielem fuisse concessurum,  
sunt tamen non solum contra definitionem Boëtij,  
sed etiam contra communem sententiam Doctorum  
negantium præteritum & futurum in eternitate,  
ut patet ex testimonio inferius citandis, & sunt  
minus digna attributis diuinis, de quorum numero  
est eternitas.

Secunda conclusio. In eternitate diuina neque  
partes, neque successio vila reperitur. Hæc, supponita  
præcedente conclusione, nempe quod eternitas  
sit quid reale formaliter existens in Deo, cer-  
tissima est apud omnes: oppositum namque esset  
error in fide, & cūm absolute omni ex parte sim-  
pliciter, atque immutabilitate Dei a parte pugna-  
ret, utique autem conclusio testimonis Sanctorum  
Patrum comprobatur. Augustinus enim in  
illud Psalmi 2. Ego hodie genui te, sic ait: In eternitate  
nec præteritum quicquam est, quasi esse desirerit, nec  
futurum, quasi nondum sit, quare per verbum, hodie, in-  
telligit eo loco eternitatem, quæ tota est simul ac presens.  
In illud etiam Psalmi 120. In generatione & gene-

Molina in D. Thom.

A rationem anni tui, ita inquit: Qui anni tui? qui, nisi  
qui non venient, ut transierint qui, nisi qui non ideo  
veniunt, ut non sint? omnis enim dies in hoc tempore  
ideo venit, ut non sit, omnis hora, omnis mensis, omnis  
annus, nihil horum sit, antequam veniat non est, cum  
venerit non erit. Annus tui, qui non mutantur, in  
generatione & generationem erunt. Et infra: Non  
aliquid anni Dei, & aliquid ipse Deus, sed anni Dei  
eternitas Dei est. Eternitas ipsa Dei substantia est,  
qua nihil habet mutabile, ibi nihil est præteritum, qua-  
si iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit, sed  
non est ibi nisi est, non est ibi sit, & erit. Atque hac  
ratione dicit Deum dixisse Moyisi Exodi capite 3.  
Ego sum, qui sum, sic dices filii Israël, Qui est mi-  
si me ad vos. Idem affirms unde此imo confessio-  
num capite 11. atque aliis sequentibus. Gregorius  
quoque 16. moralium capite 21. super illud Job ca-  
piti 14. ab omnipotente non sunt abscondita tempora,  
interalia ait: Quid dies Dei, nisi ipsa eius eternitas ap-  
pellatur, qua nonnumquam vnius die pronunciacione  
exprimitur (propter stabilitatem scilicet, qua sem-  
per est præfens arque tota simul:) & paulò inferius:  
neque aliquid ipse, atque aliquid dies eius sunt. Deus nam-  
que hoc est, quod habet, eternitatem quippe habet, sed ipse  
est eternitas. Et subdit, eternitas semper est habet, in  
qua nulla pars sua longitudinis praterit, ut pars alia suc-  
cedat, sed totum simul esse est lib. etiam 4. cap. 32. ait,  
fuisse, & futurum esse eternitas non habet. Anselmus etiam  
Monolo. cap. 21. & 22. duas conclusiones propositas  
affirms, assertens eternitatem, quam idem esse dicit  
cum essentia diuina, neque habere præteritum, neque  
futurum sed esse totam simul, quod latè pro-  
bat ex Dei simplicitate. Idem ex eodem capite af-  
firmat Bernardus sermone 8. super centica.

D Quod verò eternitas sine vila successione ac  
varietate ex parte sui coexistat omni tempori, ex-  
plicant aliqui similitudine ligni in fluvio defixi at-  
que immoti: ut enim alii atque alii partibus aquæ  
circum ipsum defluentibus, lignum fixum, atque im-  
motu permanet: ita alii, atque alii partibus tem-  
poris præterabentibus, nunc eternitatis sine vila  
successione partium permanet totum simul. Ac-  
commodatus tamen id explicat D. Thomas 1. contra  
gentes, cap. 66. similitudine puncti, quod est ce-  
trum círculi. Ut enim círculum illud est indivisibile  
quoddam extra circumferentia círculi, è regio-  
ne correspontens totum toti circumferentia, &  
singulis illius partibus ac punctis, quæ tamen inter  
se distant, & mutuò sibi succedunt, dum circumfe-  
rentia describitur: ita eternitas est indivisibile  
quoddam extra tempus existens tota respondens  
toti temporis, & tota singulis partibus, atque instanti-  
bus illius, quæ de curva temporis sibi mutuò suc-  
cedunt, ac fluant, totaque simul permanens sem-  
per eodem modo le habens.

E Tertia conclusio. Sicut Deus non ex eternita-  
te, sed ex tempore habuit relationem præsentia ad  
res creatas, idque propter defactum existentia re-  
rum creatarum, quæ, ut quæstione 8. visum est, ne-  
cessaria est ad talem relationem: ita ex tempore  
habet relationem præsentia, seu simul existentia  
cum tempore, quam coexistentia addit supra ex-  
istentiam; quare successiuè dicitur Deus coexistere  
alteri, atque alteri parti temporis, non successione,  
quæ sit in existentia & duratione diuina, sed in re-  
latione rationis, quām coexistentia addit supra  
existentiam, & quæ ad successionem temporis ori-  
tur successiuè in Deo comparatione alterius ac al-  
terius partis temporis, de novo existentis. Conclu-  
sio hæc de se est latè manifesta.

G 2 Pro

Eternitas  
successione  
nō  
habere ex-  
cep-  
tio-  
ne  
tur.

Tertia con-  
clusio.  
Dens rela-  
tionem pre-  
sentia ad tē-  
pus, quæ coé-  
xistentia cí-  
rca supra di-  
uinam ex-  
istentiam ad-  
dit, ex tempore  
habuit.

76 Quæst. x. Artic.j. Disput. ij. & iij.

Pro solutione argumentorum, quæ proposita sunt, notandum est, quamus æternitas in se non habeat præteritum & futurum, habere tamen co-existentiam temporis præterito & futuro, idque successiù ratione relationis rationis, quam coexistens addit supra existentiam, ut proximè explicatum est: successionemque intellecta in mensura durationis nostri temporis, non verò in æternitate: cum enim duratio æternitatis sit tota simul, ea, qua comparatione moræ temporis sunt vnum post aliud, comparatione moræ indivisibilis æternitatis sunt simul, ut alio in loco magis perspicuum fieri. Quare, si loquamur de nostro tempore, concedere possumus, æternitatem fuisse heretid est, coexistens diei hesterno, cui æternitas hodie non coexistit, non propter defectum æternitatis, sed propter defectum diei hesterni, qui iam hodie non existit, & ob id hodie nō coexistit ei æternitas in nostro tempore. Concedere etiam possumus æternitatem futuram cras, quia scilicet coexistet cras diei crastino, cui hodie nō coexistit propter defectum diei crastini, qui hodie non existit.

*Ad primum argumentum initio propofitum.*

*Ad confirmationem.*

*Ad secundum.*

*Ad tertium.*

Ad primum ergo argumentum negandum est antecedens. Ad probacionem verò negandum est tursus antecedens: tota enim æternitas est duratio, qua Deus coexistit diei hesterno, & qua coexistit diei crastino, atque de illa modò verum est dicere, fuit heri, erit cras, & est nunc, copulis harum propositionum consignificantibus ac connaturibus variis differētias nostri temporis, in quibus æternitas coexistit, coexistet, & coexistit variis partibus temporis.

Ad confirmationem concessio antecedente, neganda est consequentia, quoniam inde non sequitur, partem quadam æternitatis fuisse, & partem aliam esse futuram, sed æternitatem coexistit, & futurum esse, ut coexistat diuersis partibus temporis in variis etiam temporis differētis, quæ per copulas illarum propositionum adsignificantur.

Ad secundum negandum est antecedens: eadem namque indivisibilis æternitas est, qua Deus duravit in seipso, & coexistit infinito tempori imaginario, quod fuit usque ad creationem mundi, & quia durauit, & coexistit tempori vero, quod fuit à creatione mundi usque ad hoc instans præsens, neque æternitas, durationis Dei secundum se villa facta fuit additio, sed tempori imaginario, quod fuit usque ad creationem, facta est additio veti temporis, quod à creatione mundi usque ad instans præsens fuit. Sicut enim ex eo quod animus rationalis, indivisibilis in se, informer plures partes corporis, non fit maior secundum se, neque illi fit additionis, sed corpus, in quo est totus, & in cuius singulis partibus est etiam totus, est, quod aduentu nouarum partium accrescit, & fit maius: ita ex eo quod indivisibilis æternitas coexistat tota maior temporis & singulis illius partibus, non accrescit, & si maior secundum se, sed tempus, cui illa coexistit, fit maius & accrescit.

Ad tertium neganda est maior, si simpliciter & propriè loquendum sit, non enim est vera, nisi in durationibus in quibus formaliter cernitur extensio, ac latitudo partium. Sicut enim rationalis animus non est maior, neque minor, neque æqualis corpori quod informat, eo quod corpus extensionem ac latitudinem partium habeat, animus verò extensio & partibus careat: ita æternitas, qua indivisibilis est secundum se, nec maior, nec minor, nec æqualis temporis, quod extensionem, ac partes habet, dici propriè debet. Posset verò æternitas dici maior tempore, non quidem propriè &

A formaliter, sed virtute, quatenus in se continet eminenter tempus, cui coexistit, coexistereque potest longè maiori: ut verò aliquid sit hoc modo maius aliud, neque successionem, neque partes id habeat necesse est.

Pro solutione argumenti Aureoli notandum est, sicut essentia diuina, ut substantia est, sua immensitate ac infinitate attingit omnia spacia, in quibus est formaliter, per relationem præsentis ad unumquodque eorum: ita etiam eamdem essentiam, ut ratio sive intellectus est, attingere cognitione omnia obiecta, etiam ea, qua quacunque potentia esse possunt, & ut rationem habet potentias, attingere omnem effectum, qui producitur, atque quare ratione res existentes seu durans in se ipsa est, sua existentia & duratione coexistere omnibus rebus, durareque quando illæ durant, etiam si durationes imaginariae sint, ut possibles tunc diuina potentia. Hoc tamen est discrimen, quod licet, ut sua immensitate attingat omne spaciū, & sua potentia attingat immediatè omnes effectus, per se necessariū sit, ut ab illis per spaciū aliquod interiectum minimè distet, sed illis præsens sit, ut q. 8. ostensum est: ut tamen intellectu attingat cognoscendo obiecta, atque existentia sua coexistat aliis rebus, durationeque sua dureat quando alii durant, per se id non est necessarium: si enim per impossibile ab eis distaret spacio interiecto, posset nihilominus Deus illa attingere cognitione, illisque existentibus & durantibus coexistere & durare simul, loco ab eis omnino disiunctus ac separatus.

Hoc ita constituto, ad argumentum admissa majori propositione, (licet, ut per se loquamur, aliter attingantur spacia ab essentia diuina sua immensitate, quam æternitas attingat differentias temporis, etiam possibilis imaginari, aliterque eis assistat seu coexistat, ut explicatum est) atque etiam admissa minore, neganda est consequentia: non enim recte concludit, non esse durationem, sed solum concludit non esse talam durationem, quæ habeat successionem partium, quod nos libenter admittimus. Est verò æternitas essentia ipsa diuina apprehensa secundum rationem rei existentis, atque durantis in se ipsa formaliter, quæ quidem rationes formales re ipsa in ea reperiuntur, non tamen ab ea distinguuntur nisi virtute.

D I S P U T A T I O III.

*Vtrum ratio æternitatis pendaat ab anima.*

**Q**uestio hæc excitatur circa verba illa D. Thomæ: *In apprehensione uniformitatis eius, quod est omnino extra motum, constituit ratio æternitatis.*

Nomine autem, uniformitatis, intelligit permanitionem sine successione prioris & posterioris, ac sine partibus: eamdemque permanitionem sine successione ac partibus. I. Sententiarū d. 19. q. 2. art. 1. appellavit unitatē. Sic enim tempus propter successionē prioris & posterioris dicitur numerus motus secundū prius & posterius, ita æternitas propter carentiam successionis dicitur quid vnum.

Tribus modis verba diu Thomæ hoc loco ab ipsis sectatoribus exponuntur. Primo, ut sit sensus, rationem formalem æternitatis in eo positam esse, quod anima apprehendat uniformitatē ipsius, quasi ratio formalis æternitatis pendaat ab anima, compleaturque per anima apprehensionē: eo modo, quo multi affirmant rationem temporis pendere ab anima, & compleri per apprehensionem animæ.

*Ad argumentum Aureoli.*

*Tribus modis expinatur.*

animæ. Secundò, ita ut nomine *rationis aeternitatis*, intelligat conceptum formalem, quo apprehendimus aeternitatem, non verò efficiam, ac conceptum obiectuum aeternitatis, sensuque sit: *Ratio aeternitatis*, id est, conceptus formalis quo apprehendimus aeternitatem, consistit in apprehensione uniformitatis eius, quod est extra motu: id est, tunc habetur, quando mente apprehendimus uniformitatem eius, quod est extra motu. Tertiò, ita ut nomine *rationis aeternitatis*, intelligat conceptum obiectuum (qui sèpè nomine rationis significatur, ut patet apud Aristotelem in antreprædicamentis in definitione aequiuocorum, & vniuocorum) atque sensu sit: *Ratio aeternitatis* consistit in apprehensione uniformitatis, id est, in uniformitate, quæ apprehenditur, quando concipiatur aeternitas. Prioris duas expositiones tradunt Ferrariensis i. contra gentes capite 15. & Sylvestris in Cölfaro quest. 10. articulo 1. approbant tamen magis primam. Dicunt enim, sicut completa ratio temporis posita est in ratione mensuræ, completurque per numerationem animæ distinguenter partes temporis secundum prius & posterius, illùdque diuidentis in dies, menses, & annos: ita completam rationem aeternitatis posuit esse in ratione mensuræ, complèque per animam apprehendentem uniformitatem, ac unitatem esse diuinam in ratione mensuræ eiusdem esse: neque enim habet esse mensuram diuini esse, nisi quatenus apprehenditur ut mensura: D. Thomas namque articulo sequente ad tertium ait, *aeternitatem in Deo solam habere rationem mensuræ secundum apprehensionem nostram*. Caetanus vero hoc loco amplectitur tertiam expositionem, censèque rationem formalem aeternitatis nullo modo pendere ab anima, sed esse à parte rei seclusa operatione intellectus: eo quod duratio diuina unitatem atque uniformitatem habeat à parte rei seclusa operatione intellectus.

*Temporis  
durationis  
præceptio  
prius.*

*Temporis  
durationis  
posterioris.*

Quarto Physicorum, atque in commentariis ad prædicamentum quantitatis duas temporis acceptiones distinguebamus. Vnam pro duratione seu mora successiva motus: atque hanc dicebamus esse verum ens reale nullo modo ab anima pendens, scilicet speciem quantitatis à ceteris distinctam, quod præter autoritatem Aristotelis connumerantis tempus inter species quantitatis, ostendebamus: quoniam est quid quantum, quippe cùm habeat partem extra partem, nempe præteritum, & futurum, qua per instans copulantur, & non est quantum per accidens: ergo est quantum per se, ac proinde ens reale ab anima minimè pendens, verèque species quantitatis. Minor (in qua sola potest esse difficultas) probatur, quoniam si esset quantum per accidens, maximè per motum ex quo resultat: quod tamen patet esse falsum: videmus namque tam motus motum inæqualium aequaliter esse inter se, quam motus motum æqualem esse inter se inæquales. Erenim si mobile vnum mouatur per spacium vnius leuce, & alterum moueatur celerius duplo per spacium duarum leucarum, motus erunt inæquales, quippe cùm tantus sit motus, quantum est spaciū per quod mobile mouetur, vt de se est manifestum, colligiturque ex Aristotele 5. metaphys. c. 13. & alius ex locis: & tamen motus ac durationes eorum erunt aequales. Rursus si duo mobilis mouantur, vnumquodque per spaciū vnius leuce, vnum tamen moueatur duplo celerius altero, motus tunc erunt aequales, & motus ac durationes eorum inæquales: cùm altera sit duplo maior altera. Cuius rei ea est

A ratiō, quād mora & duratio motus non oritur ex quantitate motus præcisè, sed ex quantitate vna cum celeritate seu concitatione motus: aequalis namque motus duplo magis concitatus habet duplo minorem moram. Quarè si primū mobile moueretur duplo celerius, circulatio esset aequalis: & tamen mora esset subdupla ad eam, quam modò facit. Tempus in hac significacione nullò modo pendere ab anima, nulli potest esse dubium: nullo namque operante intellectu, motus, pro maiori vel minori concitatione quam habet, facit maiorem vel minorem moram.

B Alteram acceptancem distinguebamus præ ea dem etiam duratione & mora motus, ut prædefinita ab anima atque constituta tanta, vel tanta ad dimetiendas mutations, quæ sunt in his inferioribus, & durationes earum. Ut enim anima definit, ac statuit cubitum, aut stadium certæ quantitatis, in mensuram rerum permanentium, ita definit & statuit diuellas partes temporis ad metiendas res successivas. Ut eam partē temporis, quæ resulat ex circulo integro solis ad motum primi mobilis, appellat diem, quam rursus distinguit in viginti quatuor partes aequales, atque earū quamlibet horam appellat. Rursus diem per triginta plus minutiæ ducum, appellat mensum: ex duodecim vero mensibus annum constituit. Tempus in hac secunda acceptance definiuit Aristoteles 4. Physicorum, esse numerum motus secundum prius & posterius, id est, partes motus, in quibus cernitur prius & posterius, ut numerata sunt & designata ab anima certa ac definite durationis ad metiendas terum durationes. Tempus igitur ita sumptum docuit Aristoteles capite ultimo 4. Physicorum pendere ab anima: quoniam cessante illa numeratione & prædefinitione, quæ ab anima sit, non manet tempus acceptum, tametsi maneat in prima acceptance sumptum, in qua propriissime dicitur tempus, estque vera species quantitatis.

C His igitur animaduersis, sit prima conclusio. Ut cessante operatione intellectus est tempus in prima eius acceptance, quæ est propria & completa ratio temporis: ita cessante operatione intellectus est aeternitas pro duratione interminabili ac tota simul, qualis definita est disputatione 1. quæ est propria & completa ratio aeternitatis. Hæc ex dictis est manifesta, confirmarique potest: quoniam in Deo formaliter est dura, quia formaliter, réque ipsa durat, ut disputatione præcedente demonstratum est: eaque duratio ex natura rei est interminabilis & tota simul, ad sensum circa definitionem Boëtij disputatione 1. explicatum: ergo aeternitas est in Deo seclusa operatione intellectus. Idem confirmati potest, quoniam ridiculum esset affirmare, Deum seclusa operatione intellectus non esse aeternum: quod tamen necessariò esset confitendum, si quis diceret, seclusa operatione intellectus aeternitatem non esse.

E Secunda conclusio. Cùm aeternitas duratio sit infinita, partibus carens, Deoque infinitus etiam sit, atque ab eo ex natura rei illa non distinguitur, non videtur aeternitas habere rationem mensuræ, maximè cùm non facile sit explicare, quoniam pacto ea Deo accommodari debeat, cùm nihil in Deo cernatur, quæ aeternitate veluti mensura definiri debeat: potissimum si dicamus durationem cuiusque rei non, distingui ab existentia eiusdem rei. Hæc conclusio probatur, quoniam infinitum (ut ex Aristotele 4. Physicorum docet D. Thomas) mensura definita nequit, sed tam res dimentanda

Prima con-  
clusio.  
Aeternitas  
est seclusa  
operatione  
intellectus.

Secunda  
conclusio.  
Aeternitas  
proprie non  
videtur ha-  
bere ratio-  
ne mensuræ.

Molina in D. Thom.

G 3 tienda

tienda, quam mensura, finita necessaria esse debet. Præterea mensura debet esse quid distinctum à re, cuius dicitur mensura idem namque sibiplus mensura esse non potest, quare cùm æternitas, essentia, atque existentia diuina idem sint, sit, ut unum non possit esse mensura alterius. Ex hac conclusione colliges, non esse necesse omnem durationem habere rationem mensuræ.

Cùm autem audis, mensuram debere esse quid finitum, ne intelligas de eo, quod dicitur mensura ad modum causæ exemplaris, quam non oportet rei metiendæ ad aquari: quo pacto perfectissimum in vnoquoque genere dicitur mensura ceterorum, qua ratione quod aliquid magis accedit ad perfectissimum, eò est perfectius. Hoc namque modo infinita Dei perfectione mensura est omnium rerum: quod verò magis res perfectionem diuinam imitantur, per majorēmque recessum ab imperfectione ad eam quodammodo magis accedunt, eò sunt, ac dicuntur perfectiores. Vnde Dionysius s. cap. de diuino nominibus. Quia Deo inquit, magis participant, ac viciniora sunt, atque diuiniora, iis, que minus participant. Hoc tamen modo æternitas à Doctoribus citatis mensura diuini esse, nec constituitur, nec potest constitui.

**Tertia conclusio.** Qui diceret æternitatem rationem habere mensuræ, dicturus esset relationem mensuræ esse ens rationis, rationēmque æternitatis, non secundum rationem æternitatis, sed secundum rationem mensurae completri per operationem intellectus. Hæc patet, quoniam in Deo mensura, & id quod ab ea definitur, idem sunt, neque distinguuntur, nisi vel per intellectum concipientem vnam, vt mensuram alterius, vel certè virtute: ut verò relatio aliqua realis sit, necesse est, ut fundamenta ex natura rei sint distincta. Conclusionem hanc intendunt Ferrariensis & Sylvester: volunt tamen durationem diuinam non esse completam secundum rationem æternitatis, nisi quando formatur rationem mensuræ, in quo audiendi non sunt: æternitas namque absolute quid est: mensura verò relatiæ dicitur ad mensuratum.

#### D I S P U T A T I O I V .

**Virum æternitas in Deo sit mera duratio realis, an vero includat negationem.**

**Scotus.**

**Parte af-**  
**firmantem**  
**confiram.**

**S**cotus quodlibet 6. §. restat nunc, In primis stanquam notum supponit, æternitatem ita ad existentiam diuinam pertinere, ut duratio æternæ in Deo idem sit, atque existentia externa. Deinde querit, utrum quemadmodum in Deo infinita intensiva, seu quod ad perfectionem essentiale, est modus realis essentia diuinæ, eò quod in essentia diuina revera durat latitudine realis perfectionis sine termino, qua latitudo a carentia termini denominatur infinita: ita æternitas sit modus realis & intensus existentia, quasi existentia diuina non solum sit infinita intensiuè ex eo quod continet infinitam perfectionem essentiale, sed etiam quodam modo extensiue, eò quod secundum rationem durationis rationem habeat infinitatem, hoc est, latitudinem realem durationem (ut Scotus vocat) infinitam.

Atque in partem affirmantem, quam non reputat improbatum, citet illud Dionysius s. capite de diuino nominibus iuxta antiquam versionem, Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter, & circumscriptè totum esse accipit in se ipso, & præaccipit propter quod dicitur rex seculorum. Et subiungit,

A *Ipsæ est esse existentib[us], & ipsum esse existentium, & existens ante facula, ipsæ est enim auctum aorūm, qui est ante facula: quibus verbis innuere videtur, in existentia diuina esse infinitatem durationum ex natura rei, tamquam modum realem ipsius existentiae iuxta sensum paulo antè explicatum.*

In partem vero negantem, quod in existentia diuina non sit infinitas durationis tamquam modus realis existentiae, sed æternitas solum addat supra existentiam & durationem diuinam, in qua non sit talis modus, negationes desitionis; successionis, & dependentie ab alio, qua significantur particulis illis à Boëtio adhibitis in definitione æternitatis, videlicet, *interminabilis, tota simul, & perfecta posse*. Argumentum primò ex ipsam definitione, in qua sola particula, *vita*, qua pro existentia viuentis accipitur, est quid reale, ac positivum: cetera verò particulae significant negationem.

Secundò, quoniam quemadmodum, si Angelus in nihilum redigeretur eras, non haberet alium modum realem in sua existentia indubitate, & tota simul ab eo, quem haberet, si duraret in æternum, sed solum durare in æternum adderet negationem definitionis: ita si per impossibile durationem diuina desineret, non haberet alium modum realem ab eo, quem habet numquam desitura: ergo æternitas, qua importat durationem numquam defuturam, non dicit aliquem modum realem in duratione diuina, quasi ibi detur latitudo durationis infinita, sed solum addit supra durationem negationem desitionis.

In hanc secundam partem inclinat magis **Scotus**: quare ad dictum illud Dionysij respondet, solum voluisse, Deum habere existentiam incircumscripam, & infinitam intensiuè, quia habet infinitam perfectionem existentiae, qua eminenter continet existencias rerum omnium, tam quæ actu existunt, quæque esse possunt, non tamen voluisse assertere in existentia diuina dari aliquam latitudinem durationis. Idcirco autem in it, *Dionysium dixisse, Deum esse auctum aorūm, & regem seculorum, quod cum duratione & existentia ipsius pugnat ex natura rei omnis desito, quod non pugnat cum durationibus aequaliter existentes aliarū rerū non vero quod crederet, in duratione diuina talē latitudinem durationem esse constitueret.*

Quid tamen verisimilius credendum sit, explicabo duabus conclusionibus. Prima est. Sicut totum hoc, scilicet ens infinitum, forma iter significat, & addit negationem finiti, quæ in ipsa entitate, cui conuenit, fundatur: ita æternum, formaliter significat durationem, & addit omni ex parte absolutam interminabilitatem, ut ita dicam, hoc est, negationem termini, ac desitionis, tam actu, quam potentia, & tam secundum se totam, quam secundum quodlibet sui. Atque huiusmodi interminabilitatem explicitat Boëtius per tres illas particulas, *interminabilis, tota simul, & perfecta posse*.

Secunda conclusio. Sicut entitas, ac perfectio, diuina, quæ quoad finitū negationem accidentari, dicitur infinita, habet latitudinem sine termino, ratione cuius fundat negationem finitatis, quam formaliter significat infinitum: ita duratione diuina habet latitudinem durationem sine termino, quæ fundat negationem prædictæ terminabilitatis.

Conclusione haec contradicit illi parti, in quam Scotus inclinavit: eam tamen acceptam in sententi, in quo eam explicabo, reputo magis consentaneam dictis Sanctorum ac veritati, digniorēmque attributo diuino, de quo disputationem, quam sit pars in quam propendit Scotus.

Pro

*In nega-*  
*tem argu-*  
*mentatur*  
*primò.*

*Scoti sen-*  
*tentia.*

*Prima con-*  
*clusio.*  
*Æternum*  
*formaliter*  
*significat*  
*durationem.*  
*& addit*  
*omnimodam*  
*termini ne-*  
*gationem.*

*Secunda*  
*conclusio.*  
*Duratio di-*  
*uina, in se*  
*habet uniu-*  
*er latitudinem*  
*durationum*  
*infinitam.*

*perfectionis  
laetudo  
quid.*

Pro cuius rei intelligentia sciendum est. Scotum non ad eum sensum admittere in entitate & perfectione diuina latitudinem infinitam, quasi in ea cernantur partes: id enim pugnaret cum simplicitate diuina, neque in mentem cuiusquam Theologii cadere potuit: latitudo namque perfectionis posita est præstantia, excellentia, atque ut ita dicam, valore cuiuscumque naturæ, quæ præstantia ac valor potest esse maior, vbi pauciores sunt partes, & sumimus, vbi nulla, sed summa simplicitas, vt in Deo cernitur. Ut ergo natura angelica perfectione essentiali ac entitativa superat naturam humanam, & quaecumque aliam corporalem, non quod magis composita sit, maiorēm latitudinem partium habeat, sed quod simplicior multò cùm sit, præstantia tamen ac valor entitatis ipsius longè excedit præstantiam & valorem rerum corporearum: ita natura diuina simplex atque indivisibilis omnino, ut entitatem, perfectionem essentialiem, ac valorem infinitum habet, ita infinito etiam interum superat perfectione essentiali atque entitativa res omnes creatas. Hæc ergo quantitas valoris, quæ coniuncta est cum summa, omnique ex parte perfecta simplicitate ac indivisibilitate, appellatur ab Scoto latitudo infinita in entitate & perfectione diuina.

*Scientia di-  
uisa infinitum habet  
in qua in-  
finitum per-  
ficiens, in  
cuiusquam  
imperato-  
ri infinito  
non habet  
sumum.*

Sciendum est deinde, neminem negare in quoquo attributo diuino esse infinitam perfectionem à nobis explicatam, quam Scotus intensuam appellat: sed controveriam in eo tantum esse possum, utrum quemadmodum scientia diuina omnino indivisibilis, ac simplicissima in se, præter illam latitudinem atque infinitatem, haberet etiam aliam, quæ dicitur infinita extensio comparatione rerum scitiarum, quatenus una simplicissima cognitione diuina non minus infinitas res scitas penetrat & comprehendit, quam si infinite ponerentur cognitiones, quarum singula singulis rebus seipsis respondent: ita etiam in eternitate atque duratio diuina, præter latitudinem perfectionis infinitam, detur alia, quæ, ut duratio, vñitè complectatur omne tempus, seseque extendat ad vñitè coextensum infinito tempori vero, vel possibili imaginatione: an verò id non habeat, quatenus talis duratio, sed quia ex sua natura habet, ut nulla potestate definire ac deficere vñquam possit, eò quod à nullo alio dependeat.

*Eunatas  
habet ter-  
ritorium du-  
raturum, in-  
finitum, pas-  
tum exi-  
funt re-  
pri ligati-*

Scotus inclinat in hanc secundam partem proxime explicatam: prima verò nobis videtur veritatis, ac dictis sanctorum Parrum consonantior, magisque cum dignitate attributi diuini, de quo disputationis, consentiens. Etenim quemadmodum scientia diuina, non per aliquam negationem adiunctam, sed per seipsum, retenta simplicitate, habet extensionem ad infinita obiecta, de quibus possunt esse infinita scientia creatæta duratio diuina, non per aliquam negationem adiunctam, sed per seipsum, quæ talis duratio est, haberet ut coexistat & correspondeat infinitæ durationi successione imaginaria, in qua esset tempus infinitum, si moueretur ex eternitate, duraretque in eternum. Quare sicut scientia diuina vñitè habet in seipso latitudinem infinitam comparatione rerum obiectarum: ita duratio diuina vñitè habet in seipso latitudinem infinitam comparatione temporis infiniti, quod complectatur, & cui, indivisibilis ac tota simul, correspontet tota tempore, & tota singulis partibus, ac instantibus illius. Duratio ergo diuina, ut prior negationibus, quas ex natura sua fundat, haberet, quod complectatur

A omne tempus, illique toti duratione sua individuili respondeat, ac groinde ex sua natura ante negationes habet latitudinem infinitam durationum explicatam: nō verò habet à negationibus responderet toti tempori, quamvis si non esset id, cui convenirent negationes illæ, toti tempori non responderet: sicut si homo vim ridendi non haberet, rationalis non esset, neque homo. Eum verò licet durationis sit individuabile, ac tota simul, ut inferius vñ debimus, quia tamē, quod coexistat tanto, tel tanto tempori, habet ex eo, quod esse angeli cōtinuo influxu tanto vel tanto tempore à Deo conferatur angelos, ac conferuerit, dicendū est, non haberet latitudinem durationum, ut habet eternitas: fed coexistentiam tanto, vel tanto tempori prouenire ex eo, quod desinere non possit, Deo toto illo tempore conferente angelicæ naturæ idem omnino esse invidibile.

Ad primum ergo argumentum, quo Scotus partem negantem confirmat, dicendum est, Boëtium adhibuisse in definitione negationes illas: cum quod simplicia, de quorum numero est eternitas, consueverunt definiti per negationem, ut hoc articulo ad primum tradidit D. Thomas: tum etiam quod eternitas, ut à nobis concipitur ac significatur in hac vita, præter durationem dicat. Omnis ex parte absolutam interminabilitatem, quæ negatio quædam est in duratione diuina fundata ac reperita, ut dictum est. Cū enim in hac vita conceperemus non possimus attributa diuina, quo ad id reale, quo sunt propria Dei, inde fit, ut attributa Deo, & creatis rebus communia, qualia sunt durationes, scientia, substantia, &c. adiunctio negationis, quæ à Deo remouemus imperfections rerū creatarum, efficiamus ea Deo propria, ut quæst. 2. ad finem articuli tertij explicatum est.

D Ad secundum neganda est similitudo: si enim durationis diuina desinere, haberet alium modum realis ab eo, quem reuera habet, neque esset eadem durationis, sed alia alterius rationis. Quemadmodum si homo facultatem ridendi non haberet, utique non eandem essentiam, quam haberet, sed aliam alterius rationis haberet.

## ARTICVLVS II.

Vtrum sit Deus eternus.

*R*IMA conclusio D. Thomæ est. Deus est eternus. Eam probat, quoniam quod est immutabile omnino, ita ut ex se sit, neque incipere poterit, neque desinere possit, aut aliquo modo variari, eternum est immo maximè ac propriissimè eternum: Deus autem est huiusmodi, ut quæstionibus praecedebibus est demonstratum: ergo non solum est eternus, sed etiam propriissime ac maximè eternus. Est etiam de fide eadem conclusio, ut patet, quoniam evidenter colligitur ex ipsa Dei immutabilitate: quæstione autem praecedente ostendimus de fide esse, Deum immutabilem esse omnino. Idem patet ex illo Psalmi 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Vbi radicem eternitatis premisit, dum dixit: Idem ipse es, id est, es immutabilis, & ob id anni tui non deficiunt. Idem constat ex illo Concilio Lateranensis 2. cap. firmiter, de summa Trinit. & fide Catholica. Vnus solus est verus Deus, eternus. Atque ex illo symbolo Athanasij in Concilio Florentino approbat, Eternus Pater, eternus Filius, eternus Spiritus sanctus.

G 4 Secunda

*Euum lati-  
tudinem du-  
ratiuum nō  
habet, ut  
eternitas.*

*Ad primum,  
pars negans  
confirmatur.*

*Prima con-  
clusio.  
Deus est e-  
ternus.*

*Secunda cōclūsio.  
Deus est sua  
eternitas.*

Secunda conclusio. Deus est sua eternitas. Hæc etiam est de fide, & communis sanctorum Patrum: colligiturque ex Concilio Remensi sub Eugenio terio aduersus Gilbertum Piastorum Episcopū, vbi dicitur: *Imo Deus est magnus, & eternus, quia est sua magnitudo, & sua eternitas: vt Bernardus refert sermonem 80. super cantica. Vide alia, quæ diximus supra quæst. artic. 3. Vnde satis aperte colliges, propositam conclusionem, falsa fide, negari non posse.* Testimonia autem, quæ afferunt Deum esse suam eternitatem, ex Augustino, Gregorio, Anselmo, & Bernardo, adduximus articulo præcedente, disputat. 2. Quibus addit illud Dionysij 5. de diuinis nominibus, *Deus est aeternus aurum,* vbi Deum appellat suam durationem, quam nomine aeterni aut seculi, ut creatum ac incrementum sub se comprehendit, ibi significavit.

*Tertia cōclūsio.  
Nulla alia  
res à Deo est  
fus duratio.*

Tertia conclusio. Nulla alia res à Deo est sua duratio. Hanc probat, quia duratio vel est existentia cuiusque rei, vel eam consequitur, autem aliæ res à Deo est sua existentia: ergo neque sua duratio: Deus vero, qui est suamer existentia, ut est sua essentia, ita quoque est sua duratio atque eternitas.

Illud Diu Thomæ in response ad primum: *Nunc temporis stans, sine instanti, efficit secundum nostram apprehensionem eternitatem: non aliud significat, quam nos apprehensione instantis permanentis, venire in cognitionem eternitatis: sicut apprehensione eiusdem instantis fluentis venimus in cognitionem temporis.* Quod autem de eternitate dixit, dici etiam potest de ævo, quod duratio etiam est inaudibilis, & tota simul, sicut & eternitas.

### ARTICVLVS III.

*Virum esse aeternum sit proprium Dei.*

*Prima cōclūsio.  
Eternitas  
proprie sumpta, ita est  
Dei propria,  
ut alteri rei  
communicari nequeat.  
Secunda cōclūsio.*

*Eterna à  
parte ante  
licet multa  
potuerint di  
uina poten  
tia esse, ni  
hil prater  
Deum fuit.*

A ETERNITAS, ut ex dictis constat, summi potest, aut pro duratione, quæ nec actu nec potentia, sive secundum se totam, sive secundum aliquam sui partem, terminum habet: aut pro duratione non terminata actu secundum se totam, sive ea terminata possit suapte natura, siue non, aut sive sit terminata actu secundum aliquam partem, sive non.

Si eternitas sumatur priori modo, quæ est propriissima eternitatis usurpatio, sit prima conclusio. Ita proprium est Dei esse aeternum, ut neque diuina potentia conuenire potuerit ulli rei creare. Hac probatur, quoniam eternitas eo modo sumpta coniuncta est necessario cum summa immutabilitate, quæ ita Deo est propria, ut nulli alteri rei possit illa ratione conuenire, ut quæstione præcedente, ostensum est.

Si vero eternitas sumatur posteriori modo, sit secunda conclusio. Licet diuina potentia multa potuerint esse eterna, re tamen ipsa nihil præter Deum, aeternum est à parte antea. Prior pars ex copate, quod Angelii, cœli, & multa alia potuerint esse ex eternitate, ut 8. Physicorum ostensum est. Posterior vero est de fide: Ecclesiastici namque 18. habetur. *Qui vivit in eternum creavit omnia simul: cum autem creaverit cœlum & terram in principio temporis, ut ex illo Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, est manifestum: fit, ut ex tempore, & non ex eternitate sint omnes res creatae.* Praeterea in Concilio Lateranensi 2. cap. firmiter, de

A sum. Trin. & fide Catholica, de Deo dicitur, quod sit unum universorum principium, cœator omnium, visibilium & invisibilium, spiritualium, & corporalium, quod sua omnipotente virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam scilicet & mundanam. Prou. 8. Sapientia diuina de se ipso dicit, *Dominus posedit me in initio visum suarum, antequam quicquam feceret: nihil ergo Deus fecit ex eternitate.*

Tertia conclusio. Multa sunt eterna à parte post, hoc est, à eternum nunquam sit habita finem. Hæc etiam est de fide: ignis namque inferni dicitur eternus Matth. 25. eo quod nunquam sit habitus finem: beatitudo etiam nostra propter candem rationem dicitur ibidem vita eterna: de terra, Eccliesiastes 1. dicitur, *Terra autem in aeternum sit.*

Quarta conclusio. Suntur etiam aeternum in Scripturis sacris pro re diuturna ac longe cuiusdam durationis. Quo pacto dicuntur montes eterni. Psalm. 75. *Iluminans tu mirabilis a montibus eternis.* Deuteronomij 32. *De pomis collis aeternorum.* Dicitur etiam aeternum de re, quæ licet tandem sit habitura finem, nullus tamen ei praesigitur: quo pacto intelligit Augustinus 4. tom. quæst. 31. in Genesim illud Genesios 17. *Dabo tibi, & semini tuo post te terram Chanaan in possessionem eternam,* id est, non per decem, aut viginti, aut aliquor alias definitos annos: confirmataque acceptio nem hæc vocabuli, aeternum, testimonio Horatij, qui in eadem acceptio eo virtutem. Eodem modo quæst. 43. in Exodum intelligit illud Exodi 12. *Celebrabitis hunc diem solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno,* hoc est, cultu, cui nullum vobis præfigo terminum: neque enim vel generationes filiorum Israël, vel militans Ecclesia, duratura erant in aeternum, ut filii Israël absque ullo omnino finem diem illum in generationibus suis essent celebratur. Sumuntur etiam interdum eternitas, ut comprehendit aeternum, imo & seculum, hoc est, periodum ac durationem cuiusque rei. Ita sumuntur à Dionysio 5. cap. de diuinis nominibus, & ab Anselmo Proslogion 20. cap. & ita docuit D. Thomas articulo præcedente ad secundum solete etiam usurpari.

Circa secundam partem secundæ conclusionis sciendum est, Augustinum Eugubinum in libro de spiritualibus & invisibilibus creaturis, in cum incidisse errorem, ut crederet, angelos & orbem cœli Empyrei ex eternitate fuisse creatos, quod nititur probare. Primo, ex illo ad Titum 1. *In spem vita aeterna, quam promisi, qui non mentitur Deus, ante tempora secularia.* Si enim, inquit, ante secula promisi: ergo alicui alteri id promisi: eiusdem namque ad seipsum non est promissio: ergo angelii fuerunt ante secula, & proinde ex eternitate, quibus talis promissio facta fuit.

Secundo, ex illo i. ad Timotheum 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem:* ait enim lucem hanc non aliud esse posse, quam cœlum Empyreum ex eternitate conditum.

F Ad primum nihilominus dicendum est, Diunum Paulum per tempora secularia intellexisse, tempora plurium seculorum: seculum autem est periodus durationis cuiusque rei, ut ex Aristotele 1. de cœlo docuit D. Thomas articulo præcedente in response ad secundum. Vnde sensus est, promiserat (Patribus videlicet veteris Testamenti) ante multa secula, seu periodos durationis ac vitæ mulorum hominum. Alij interpretantur, promiserat, id est, statuerat in seipso ante tempora secularia, id est, ex eternitate. Alij aliter interpretantur, sed prima exppositio magis placet.

Ad

Error Eugu  
bini circa  
angelos &  
cœlum Em  
pyreum.  
Eum probat

circa  
angelos &  
cœlum Em  
pyreum.  
Secundum.

Ad primum.

*Ad secundam*. Ad secundam dicendum est, nomine lucis intelligi ipsumm Deum, qui est lux vera. Vnde filius dicitur esse lumen de lumine. Etenim sicut Deus dicitur habitare immortalitatem, quæ non est res diuersa ab ipso et Deo: ita dicitur habitare lucem, quæ ab eo res distincta non est. Vtrum autem si fidei contraria sententia. Gracorum afferunt, angelos ante res corporeas creatos fuisse, dicimus q. 61. vbi id disputat D. Thomas.

## ARTICVLVS IV.

Vtrum eternitas differat à tempore.

**D**OCEST potissimum discrimen inter eternitatem & tempus esse, quod eternitas sit tota simul: tempus vero minimè. Reliqua quæ hoc loco dici poterant facilè intelligentur, tum ex dictis articulo 1. & 4. Physicorum: tum ex iis, quæ articulo sequente dicemus.

## ARTICVLVS V.

Vtrum in ævo Angelorum cernatur prius & posteriorius.

## DISPUTATIO I.

*Examen unde istud via nique illius questione.* **A**EVVM GRÆCÆ ējor dicitur, videturque vocabulum latinum deductum ex GRÆCO, ut mutato in duplex v. alterum consonans, & alterum vocale. Prima sua significacione periodum longam temporis, idemque quod sæculum significat, vt ex autoribus profanis constat. Vnde & coævus, & grandævus aliquis dicitur. Eldre etiam 3. cap. 2. habet, Cuius illa ab ævo est regibus resistent, & cap. 4. Maiestas & potestas auorum est apud te Domine. Translatur vero est ad significandam eternitatem, Ecclesiastici 18. Numerus diuinorum hominum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt. & sicut calculus arena, sic exigui anni in die eui. Doctores vero, vt ab eternitate & tempore distinguenter durationem rerum, que corruptioni obnoxiae non sunt, eaque de causa finem non habent ad eam significandam usurparunt vocabulum ævi. Atque in hac significacione sumitur in proportione: quæ usurpatio non solum Scholasticorum est, sed etiam Augustini libro 83. questionum q. 72. vbi de ævo tamquam de re ab eternitate distincta loquens, ait: Inter quod & tempus hoc distat, quod ille stabile est, tempus autem mutabile: codemque modo ab aliis Patribus accipi solet.

Quod primo loco in hoc articulo disputandum occurrit, est: Utrum in ævo deitur prius & posteriorius. D. Bonaventura in 2. d. q. 3. partem affirmat amplius, dicens ævum, quod ad successionem attinet, medium locū tenere inter eternitatem & tempus. Eternitas namque neque in se, neque in esse diuino, cuius est duratio, successionem ullam, priusve ac posterioris habet, sed est tota simul. Tempus autem tam secundum se, quam ratione motus, cuius est duratio, successionem habet. Ex eum vero in se quidem, quæ duratio quedam est, successionem habet, priusve ac posterioris: esse tamen angelus, cuius est duratio, nullam successionem habet, sed est totum simul: quod haec similitudine explanat: vt enim inquit, in continuo egressu rivuli ex fonte, non solum egressus ipse continuus est, sed etiam aqua que

egreditur semper est alia, atque alia: at vero in egressu radij luminis à corpore lucido, quando re illustrata est in eadem distançia, egressus quidem atque inflexus corporis lucidi continuus est radius vero luminis, qui egreditur semper est idem: ita quod influxus, post primam irradiationem non est aliud, quam communicatio & conservatio eiusdem prossus luminis, quod primo à corpore lucente emanavit: ita in continuo egressu motus a causa effectrice, continuo egreditur alia atque alia pars motus, quia alia atque alia parte temporis durat: at vero in egressu angelis à Deo, a quo tam ut fiat, quam ut conservetur perpetuo pendor, influxus atque actio divina, qua illum conservat, est successiva: est tamen, quod illi perpetuo ea actione tribuit, est idem omnino ac totum simul.

Quare cum duratio angelis per horam sequentem consequatur influxum successuum, quo Deus successu conservat idem omnino esse illius: sic, ut duratio angelis per horam sequentem nondum sit, ac proinde sit diuersa ab ea quæ modo durat, idcirco in duratione angelis detur successio, sicut in conservatione datur: non vero in esse angelis, cuius est ea duratio. Hanc candem sententiam fecutus fuit Varro, vt referat Capreolus in 2. dist. 2. q. 2. in arg. contra quintam conclusionem. Eandem defendit Scorus, vt probabilem, ibidem qu. 1. tametsi propendere videatur in partem oppositam, quam eriam defendit.

Sententia horum Doctorum suaderi potest. Primo, quoniam fieri nequit, vt idem simul sit in actu, & in potentia comparatione eiusdem formæ indiuisibilis: sed angelus nunc est in potentia ut durat cras: quandoquidem potest nihilum redigi ante diem crastinum, eaque de causa non durare cras: est vero in actu durationis, quodam nunc habet: ergo duratio, qua durabit cras, non est eadem cum ea, qua nunc durat, quasi utraque sit una indiuisibilis carens partibus: in duratione ergo angelis datur successio.

Secundò, ad pleniorum intelligentiam huius rei licet argumentari. Actio, qua Deus sine intermissione cōfert esse angelo, eumque conseruat, habet partes, ita scilicet, ut alia parte actionis conseruet eum per primum diem, & alia per secundum: ergo esse quod ei confert, est aliud, atque aliud, ac proinde durationis talis esse erit alia atque alia. Consequientia patet, quia impossibile est esse partes in actione, quin dentur etiam partes in forma per actionem acquista, quæ partibus actionis respondeant. Antecedens vero probatur. Tum quod actione illa non sit in instanti, sed in tempore, ac proinde sit continua & diuisibilis in partes ad divisionem temporis: tum etiā quia posita tota actione, ponitur omnino effectus: cum actione autem primi dici stat, angelum secundo die non esse, vt patet, si in nihilum redigatur post continuatam actionem toto primo die: ergo actione primi diei non est tota actione, qua Deus confert esse angelo duobus continuis diebus, sed pars dumtaxat illius totius actionis.

Tertiò, duratione angelis est infinita à parte posteriori: si ergo tota sit simul, dabatur aliquid creatum infinitum actu, quod fieri nequit.

Confirmatur hæc ratio, quoniam angelus per suam durationem potest coexistere infinito tempori à parte posteriori: si ergo illa est tota simul, sequitur esse actu infinitam. Consequentia patet, quia quemadmodum id, quod potest simul coexistere infinito spatio, est infinitum per immensitatem: ita duratione tota simul, quæ potest coexistere infinito tempori, erit actu infinita.

Quartò, In eo, quod habet suum esse atque durationem simul, idem est esse, fuisse, atque futurum esse:

esse: sed implicat contradictionem angelum, qui fuit, non fuisse: si ergo in eodem angelo idem est fuisse, atque futurum esse, implicabit contradictionem angelum non fore, quod tamen est absurdum, pugnatque cum Dei omnipotencia, quae potest eum redigere in nihilum.

Quint.

Quinto, si duratio angelii esset tota simul sine ratione prioris & posterioris, vna duratio angelii non esset maior, quam alia: si ergo Deus crearet hodie vnum angelum, angelii creati in principio mundi non essent majoris durationis, aut priores durationes angelio hodie creato, quod tamē est absurdum.

Sext.

Sexto, creet Deus duos angelos in primo instanti huius horae, & alterius eorum redigat in nihilum in fine horae, simulque producat alium, qui duret cum angelio remanente per aliam horam: tunc duratio angelii in nihilum redacti, fuit prior duratione angelii creati in secunda hora, cum vna duratio fuerit post aliam: sed duratio angelii conseruati per duas horas, fuit in prima hora simul cum duratione angelii in nihilum redacti: ergo duratio illa fuit etiam prior duratione angelii creati in secunda hora. Pater consequentia, quia si duas durationes sunt simul, & vna eorum est prior, quam quādam tercia, duratio alia erit etiam prior, quam eadem tercia: cum ergo idem angelus duraverit etiam simul in secunda hora cum angelio creato in secunda hora: sit, ut in duratione angelii conseruati per duas horas detur aliquid secundū quod duravit prius, quam angelus creatus in secunda hora, & aliquid aliud secundū quod duravit simul cum illo: idem namque secundū idem non potest esse prius & simul comparatione eiusdem: quare in duratione angelii conseruati necessariō successio partium admittenda erit.

Septim.

Septimo, quod deficit à duratione, quam potest habere, non habet totam suam durationem simul: quandoquidē potuit plus durare: sed angelus per subtractionē diuini influxus deficitē potest à duratione: ergo non habet totam durationem simul.

Octau.

Octauo, sublato omni tempore, & omni comparatione temporis tam veri quam imaginarij, potuit unus angelus esse innocens, & postea peccare: ergo sublato omni tempore datur in ipsa duratione angelii prius & posterius, in quibus posset esse prius influs, & postea peccator, ac proinde in duratione angelii datur successio.

Nonn.

Nono, si angelus dureat per horā, & in nihilum viceretur, iterumque post aliam horam producetur, duratio angelii prima & tercia hora, esset successiva: quādoquidē esset interrupta per horā intermedium, in qua non durasset, duratioque in prima hora esset prior duratione eiusdem angelii in tercia hora: ergo si continuē duraret per tres horas, esset etiam successio in duabus horis extremis.

Sunt præterea pro hac sententia testimonia sanctorum Patrum. Augustinus enim in confessionionem cap. 14. ait: *Præsens, si semper esset præsens, neque in præteritum transire, iam non esset tempus sed eternitas;* quo loco aperte innuit, in sola æternitate non dari successionem præsensis, præteriti & futuri: datur ergo in aucto. Gregorius 27. moralium cap. 3. loquens de angelis dicit, *In eis initium cernimus, cum mentem retro reuocamus: Deus non recipit ex quo, neque quo usque.* Anselmus etiam Proslogion 20. capite, loquens cum Deo ait: *An hoc quoque modo transire omnia etiam eterna, quia tua, & illorum eternitas tota tibi præsens est, cum illa nondum habeant de sua eternitate quod venturum est,* sicut iam non habent quod præteritum est? Hieronymus quoque ad Marcellam,

*A in omni, inquit, creatura differt præteritum & futurum: quia solus Deus est, qui non novit fuisse, neque futurum esse: in duratione igitur Angelii datur fuisse, atque futurum esse.*

Contraria sententia, etiam nempe durationem esse indivisiabilem, ac totam simul, est D. Thomas in hoc loco, & quodlibet 10. artic. 4. ac alibi, Caetani hoc loco, Henrici quodlibet 5. q. 13. Capreoli in 2. d. 2. qu. 2. conclusione 5. Durandi ibidem q. 3: Richardi etiam artic. 1. quest. 3. in eamque inclinat Scotus magis, quam in oppositam, eadem d. q. 1. atque ut communior & longè probabilius est nobis amplectenda.

Probari autem potest. Primo, quoniam ut hoc loco argumentatur Diuus Thomas, prius & posterius, successio arque innovatio in duratione proueniunt ex successione, innovatione, ac prioritate & posterioritate in eo, vnde proximè resultat, & cuius proximè est duratio: ex eo namque in tempore hæc omnia reperiuntur, quia prius reperiuntur in motu, ex quo tempus resultat, & cuius proximè est duratio, ut Aristoteles 4. Physicorum capite 12. est autor: sed in esse angelii, vnde resultat etiam, & cuius proximè est duratio, non cernitur prius & posterius, successio ac innovatio: ergo neque in eato ipso.

Secundo ita argumentatur Caetanus, esse angelii est indivisiibile: ergo etiam etiam; quod illius est duratio arque mensura. Consequens pater, quoniam mensura, ut Aristoteles ait 10. Metaphysicorum textu 2. *metiendo rem, quam metitur, notam reddit:* divisibilis autem, ut propriæ metri nequit rem indivisiibilem, ita neque illam notam facere potest: quantitas quippe specierum in sacramento altaris, neque metitur, neque notam facit quantitatem Christi, quæ sub illis est: ed quod Christus sit sub illis indivisiibiliter.

Tertio ita argumentor, sicut in hora sequenti duratio angelii consequitur esse, quod angelus influxu, & cōseruatione divina tunc recipiet: ita potentia angelii, v. g. intellectu, & voluntate, consequuntur idem esse, quod runc recipiet: ut enim siccesserit modò ex actio non erit duratio angelii per horam sequentem, ita neque superstites erunt ipsius potentiae: sed hoc non obstante, potentia consequuntur esse angelii in hora sequenti eadē numero, imò eadē profutus, quæ anteā erant: ergo duratio consequetur etiam eadem numero, atque eadem profutus quæ anteā erat. Confirmatur hæc ratio, quoniam sicut duratio angelii per horā sequentem pendet ex conseruatione & continuatione actionis, qua Deus confert esse angelio: ita ipsummet esse angelii pendet ex conseruatione & continuatione eiusdem actionis: cessante namque ea actione, ut cessat duratio angelii, ita cessat esse angelii: sed hoc non obstante, angelus per illam actionem recipit in hora sequenti idem esse cum eo, quod modò recipit, vt patentes autores contrarie opinionis: ergo recipere etiam poterit eadem durationem.

Quarto, Actio ipsa, qua Deus confert esse & conseruat angelum per legum tempus, est vna numero indivisiibilis carens partibus & tota simul: ergo duratio angelii per idem tempus, quæ consequitur eandē actionem, erit etiam vna numero indivisiibilis carens partibus & tota simul, sicut est ipsummet esse angelii, quod per eā recipitur. Consequens videtur notari namque in duratione angelii esset ponenda successio, maximè propter successionem actionis, qua Deus confert illi esse alio, atque alio tempore. Antecedens vero probatur, quoniam

quoniam cùm actio sit productio termini, sìntq[ue]a  
vina & eadem res, solumque formaliter distinguantur,  
singi nequeunt partes, arque successio in actione,  
qui etiam datur in ipso actionis termino: cùm  
ergo in esse angelii per longum tempus non dentur  
partes, aut successio: fit, vt neg: datur in ipsa actione,  
sed potius per influxum eiusdem indiuisibilis  
actionis, qua primò contulit illi esse, cū conseruet,  
illique conferat illud idem esse tōto decursu tem-  
poris, quod primo illi contulit, idque eo ipso, quod  
ab indiuisibili influxu & actione, qua primò cœpit  
illi conferre esse, non desiter, nec eam suspendat.

Quintò, Accidens absolutum non definit esse, B  
nisi vel per definitione subiecti, vel per subtractionem  
influxus causæ conferuantis, vel per actionem  
contraria: duratio verò augeri est accidentis abso-  
luti, & neque subiectum definit, neque influxus  
causæ conferuant, quin potius eadem numero  
actio indiuisibilis, qua primò ei esse collatum  
est, perseverat, vt proximè probatum est, neque est  
actio contraria, qua destruitur aut definat esse: er-  
go in tōto decursu temporis neque fluit, neq[ue] de-  
finet, sed eadem prorsus perseverabit. Confirmatur,  
quia si desineret, & alia duratio, aut pars durationis  
succederet, hæc alia pars produceretur, aut  
cōproducetur, alia actione, aut alia pars actionis  
ab ea, qua prior pars producebatur, aut com-  
producebatur; accidens enim absolutum propterā  
non resultat, nisi facta variatione aliqua in subie-  
cto, quoniam opus est aliqua actione, qua vel pro-  
ducatur, vel cōproducatur in eo subiecto: sed  
non datur alia actio, aut pars actionis, ab ea, quæ  
antea erat, vt probatum est: ergo neque datur in  
subiecto alia duratio, aut pars durationis ab ea,  
qua anteā erat. Præterea Plato in Timœo ita fuisse,  
& fore, tempore geniture sunt propria, non aut: eni-  
quippe mania perpetua & immutabilis. Aug. etiam lib.  
83: Questionum, quæst. 72. inter aūum, inquit, &  
tempus hoc distat, quod aūum stabile est, tempus aūiem  
mutabile.

Vt hæc sententia pleniū intelligatur, meliusque  
dissoluantur argumenta in confirmationem con-  
trarie proposita, notandum est. Quod quemad-  
modum sol eadem prorsus luce, qua lucet in se  
ipso modo, lux heri, & lucebit crassatamē quod,  
lucet per eam modum, pender ex eo, quod conser-  
vetur modo, tum à substantia solis, à qua fluit, &  
in qua, vt in proprio subiecto inhæret, tum à Deo  
conseruat substantiam solis, arque ipsammet luce-  
cem per concussum vniuersalem, & quod luxerit  
heri, pendit ex eo, quod eadem cause conser-  
uerint eamē lucem in sole heri: & quod debeat  
lucere cras, pender ex eo, quod eamē cras con-  
seruare debent: ita angelus eadem prorsus duratione,  
qua durat nunc in se ipso, durauit heri, & durabit  
cras, atque in æternum: attamen quod per eam  
duret modum, pender ex eo, quod esse ipsius atque  
duratio conseruentur nunc à Deo: quod durauit  
heri, ex eo, quod heri conseruata fuerint: quod  
duret cras, atque in æternum pender ex eo, quod  
cras, & in æternum conseruari debebunt. Vt enim  
angelus indifferens est de se, vt coëxistat huic vel  
illi parti temporis: quod verò coëxistat huic potius,  
quam alijs, habet ex eo, quod creetur & conser-  
vetur à Deo potius in hac parte temporis, quam  
in alia: ita duratio ipsius ex se indifferens est, vt  
si duratio angelii in hac, vel in illa parte tempo-  
ris: quod verò per eam angelus duret potius in  
hac parte temporis, quam in alia, habet ex eo, quod  
ad productionem & conseruationem angelii illa

A comproducatur & conseruetur potius in hac par-  
te temporis, quam in alia. Quare sicut sol in primo  
instanti, quo cōditus est, accepit totam lucem, qua  
ab eo instanti usque ad instantis præsens splenduit,  
arque splendebit in æternum, si nihil ei luminis in  
æternum diuina potentia augeatur: attamen quod  
per eam tota ea duratio splendet, habet ex eo,  
quod tota ea, modo paulò antè explicato, conser-  
uetur: ita angelus in instanti, quo creatus est, accepit  
totam atque indiuisibilem durationem, qua dura-  
uit à principio mundi, & perdurabit in æternum;  
attamen, quod duret per eam toto eo tempore ve-  
ro, vel imaginario, & quod per eam eidem tempo-  
ri coëxistat, habet ex conseruatione qua à Deo to-  
to eo tempore conservatur. Ad hunc ergo sensum  
dicimus durationem angelii esse totam simul, quod  
non alia atque alia duratione, aut alia atque alia  
parte eiusdem durationis, perdurabit angelus in  
æternum, sed eadem prorsus indiuisibili, qua mo-  
do duret, dependenter tamen à libra conserua-  
tionis diuina pro tempore futuro.

Ex his licet intelligere, tum conuenientiam  
quamdam, tum etiam lacum quoddam discrimen,  
maximeque in proposito inter aūum & æternita-  
tem, obseruandum. Conuenientia est, quod quemad-  
modum æternitas successuē habet relationem  
simil existentia cum alia atque alia parte tempo-  
ris (quæ coëxistentia diuina addit supra existen-  
tiā, vt articulo 1. disputatiōne 2. explicatum est)  
ratione cuius relationis de Deo verè dicimus, fui-  
se, esse, & fore, id est, coëxistit cum tempore præ-  
terito, coëxistere cum tempore præsente, habitu-  
rumque coëxistentiam cum tempore futuro: ita  
aūum successuē habet relationem simul existen-  
tiæ cum tempore, ratione cuius dicimus, Angelus  
fuisse, id est, habuisse coëxistentiam cum tempore  
præterito: & esse, id est, habere coëxistentiam cum  
tempore præsenti: & futurum esse, id est, habitu-  
rum coëxistentiam cum tempore futuro: quoniam  
verò antequam heret, eā non habuit, eō quod tunc  
nondum haberet existentiam & durationem, falsum  
est dicere, Angelum fuisse, antequam crearetur.

Dicimen verò est, quod æternitas ex se ac ne-  
cessari habet esse simul, coëxisterē cum omni  
tempore, etiā possibili imaginatio, idque tum pro-  
pter independentiam æternitatis ab alio: tum vel  
maximè propter suam infinitam perfectionē, qua  
tamquam fons & origo omnis alterius durationis,  
quam habet eminenter, unité in se continet latitudinem  
durationis infinitam, vt articulo 1. disputatiōne 4. explicatum est, qua omne tempus com-  
pletetur. At verò aūum, cū si duratio pendens  
à productione, & conseruatione diuina, neque in  
se, eo modo quo æternitas eminenter cōinet tem-  
pus, non habet esse simul, coëxisterē cum tem-  
pore, nisi ex productione & conseruatione diuina,  
qua talis vel tali tempore producitur & conser-  
vatur: neque habet coëxistere cum maiori vel mino-  
ri tempore, nisi ex continuatione conseruationis  
per maius vel minus tempus: quare de se non ha-  
bet latitudinem durationis, sed habet quod duret  
tanto vel tanto tempore, propterā quod non defi-  
nit esse, sed continuetur conservatio ipsius toto eo  
tempore. Quod fit, vt ex eo quod substantiale Deo  
suum influxum, Angelus definit esse, prouenire  
possit, quod non coëxistat cum tempore futuro,  
arque adeò quod non si tempore futuro. Non ergo  
ad hunc sensum habet modo Angelus totam  
durationem, qua duraturus est in æternum, quasi il-  
la unité habeat modo latitudinem durationis infi-  
nitam.

Conuenientia  
inter aūum  
& æternita-  
tem.

Aūi ab æter-  
nitate dixer-  
int.

nitat in futurum, ac sit in se infinita: sed ad hunc sensum, quod per nihil durationis superadditum durabit in æternum, sed per eam solum quā modō habet, conseruata tamen in æternum, quod tempori non conuenit: indiget namque nouis partibus durationis superadditis, ut diutius duret. Ratio autem quare tempus requirat nouas partes, ut dureat diutius: duratio vero Angeli ut duret, ac coëxistat cum maiore vel minore tempore, eas non requirat, est: quoniam tempus ratione motus est suapte natura duratio successiva: duratio vero Angeli ratione esse Angeli permanentis, est suapte natura duratio permanens.

*Ad primum argumentum contraria opinionem.*

Ad primum ergo argumentum contrariae opinionis neganda est maior. Sicut enim nullum est incommode, quod aliquid diuersis temporibus sit in actu, & in potentia comparatione eiusdem formæ: ita nullum est absurdum, quod aliquid simul sit in actu & in potentia comparatione eiusdem formæ ad diuersa tempora relata. Etenim si ego integra aliqua hora immotus sedeam, utique eadem numero sessione omnino inuariata sedebot tota hora, & tamen in quolibet instanti simul ero in actu sessionis comparatione eiusdem instantis, & in potentia ad sedendum & non sedendum comparatione aliorum sequentium: quippe cum in potestate mea sit surgere, vel continuare sessionem. Quo loco sciendum est, argumentum illud eodem modo posse confici in esse Angeli, quod autores contrariae opinionis admittunt esse indiuisibile, ac totum simul, idemque proflus toto tempore: quare sicut in esse Angeli non concludit esse aliud ac aliud alio atque alio tempore, ita nec in duratione Angeli quicquam concludet.

*Ad secundū.*

Ad secundum negandum est antecedens, ut ex dictis patet. Ad primam probationem dicendum est, esse temporalem quo ad durationē, & quod duret per tempus: esse tamen momentaneam, qua ratione in quocunque instanti illius temporis, & est tota, & per eam terminus productus accipit totū suum esse: vnde quando interficitur, ergo est continua & diuisibilis in partes ad diuisiōnem temporis, neganda est consequentia. Ut enim ex eo, quod humanus animus sit in corpore quanto & continuo, non sequitur, quod sit quantus, & diuisibilis in partes ad diuisiōnem corporis, & quod in se sit indiuisibilis, totūque in toto, & totus, qualibet parte corporis: ita cū actio, de qua est sermo, in se sit indiuisibilis, tamen coëxistat cum toto tempore, & tota cum singulis illius partibus, non sequetur esse quantum, aut diuisibilem ex eo, quod duret per tempus. Ad secundam probationem dicendum est, posita tota actione, ponit omnino effectum, quo ad tem productam: neque enim ex eo, quod actio illa duret per secundum diem, plus Angelus producitur, quam sit primo die productum. Quare confessio minore, neganda est consequentia. Posset etiam responderi, posita tota actione, ponit omnino effectum, si tota actio ponatur omnino: vnde si actio ponatur durans, & conseruata per aliquor dies, Angelus per eam productus ponetur etiam durans & conseruatus per totidem eosdemque dies: qualis enim fuerit modus in actione comparatione temporis, cum quo tam ipsa quam effectus dicitur coëxistere, talis etiam erit in effectu, collatione facta cum eodem tempore.

*Ad tertium.*

Ad tertium dicendum est, durationem Angelii esse infinitam ex parte posteriori negatiū, quia scilicet numquam desinet in infinitum, sed perpetuo relatione coëxistentiæ cum quocumque tem-

pore habebit: nō vero esse infinitam positivè, quasi in se habeat latitudinem duratiū. Vt enī albedo spatio centum annorum permanens non est maior secundum se, quā si esset unius tantū diei quo ad durationem, cū tamen habeat coëxistentiam cum tempore centū annorum, quam non haberet albedo unius diei: ita duration Angeli in æternum permanens non est maior secundum se, quā si tantū per diem permaneat, sed solum vi conseruationis diuinæ haberet coëxistentiam cum tempore infinito, quā non haberet, si tantū per diem conserueretur. Quia ergo ævum non durat alia atque alia parte, sed perseverat totum ac indiuisibile, planè ex eo, quod ponatur futurum in æternum totum simul, non sequitur esse infinitum, vel sequeretur tempus futurum infinitum, si in æternum duraret, ed quod alia atque alia parte, priorem posteriore subseciente, perseveraret.

Ad confirmationem neganda est consequentia. Ad probationem vero dicendum est, in duratione Angeli non esse virtutem ad coëxistentium simul cum infinita duratione & latitudine temporis, sed ad coëxistentium successiū, ut successiū fuerit tempus. Ad correspondendum namque simul infinita latitudini habenti partes extra partes, necessaria est virtus & essentia infinita: non vero ad correspondendum successiū: Angelus enim esse potest successiū in spatio infinito, cū tamen habeat essentiam & virtutem finitam.

Ad quartum neganda est maior: licet enim per idem esse, & per eam mutationem in se ipso, sit, fuerit, & futurus sit: atamen fusile, præter durationem, dicit simul existentia cum tempore præterito: esse vero cum præsente: & fore, cum tempore futuro: quia ergo repugnat modō id, quod habuit simul existentiam cum tempore præterito, eam non habuisse: non vero repugnat id, quod ex libera voluntate Dei eam adhuc debet habere, re ipsa eam non habere, Deo ante illud tempus talem rem in nihilum redigente: planè repugnat Angelum, qui fuit, non fusile: non vero eum, qui futurus est non fore, esto per eamdem proflus durationem, qua fuit, sit futurus, Deo eam conseruante.

Ad quintum dicendum est, vnam durationem Ad quintum. Angeli non esse maiorem alia, si secundum se ipsas spectentur: quippe cum indiuisibilis sint in se: vnum tamen Angelum permanere diutius, quā alium, collatione facta cum tempore vero vel imaginario, cum quo talis duratio coëxistit: ille namque Angelus diutius durat, qui habet coëxistentiam, sive esse, simul cum longiori tempore: coëxistentiam vero cum longiori tempore ex eo prouenire, quod tam ipse Angelus, quā eius duratione longiori tempore à Deo conseruantur. Ad argumentia, si sit sermo de maiori duratione collatione facta cum tempore.

Sextum argumentum, si aliquid probaret, probaret etiam in æternitate diuinæ, quæ coëxistit cum illis duobus Angelis, dari prius & posterius: quare vni in æternitate nihil concludit, ita neque in ævo. Vnde admissa hypothesi, dicendum est, durationem angelii in nihilum redacti esse priorem duratione angelii creati in secunda hora, ratione tamen temporis atque collatione facta cum tempore, cum quo coëxistunt: quia enim vna duratio coëxistit cum prima hora dumtaxat, & altera cum secunda, vna est prior quam alia: quare argumentum solū probat, durationem Angelii durantis in vtraque hora, ut durat in prima, esse priorem duratione Angelii,

Angeli creati in secunda hora: vt verò durat in seunda, esse simul cum illa: vtrumque tamen verum est ratione temporum, cum quibus coëxistunt, & in quibus conseruatur, atque collatione facta cum eodem tempore: nullum autem est absurdum, quod aliquod indivisibile, cuiusmodi est Angelus, coëxistens cum duabus horis, & cum singulis partibus ipsarum, vt coëxistit cum prima hora, sit prius alio, quod coëxistit cum secunda hora: vt verò coëxistit cum secunda, sit simul cum illo: quemadmodum non est incommodū, quod ipsum, vt coëxistit cum prima hora, sit prius seipso, vt coëxistit cum secunda, si tamē cum tempore conferatur: eo quod prius coëxistit cum prima hora, quam cum secunda.

Ad septimum neganda est maior, si cestet ab eadem numero duratione habenda in alio tempore, vt de Angelo dicimus: & ad probationem illam in oppositum: potuit diutius durare, ergo non habet totam durationem simul: concessio antecedente, si cum tempore fiat comparatio, ita vt sit sensus, quod potuerit durare per longius tempus, neganda est consequentia: quia per conservationem eiusdem prorsus durationis, quam modò habet, duraret per longius tempus, cum quo coëxisteret: vnde per solam substantiationem conservationis durationis, quam modò habet, definit durare per longius tempus: non verò ex eo, quod impediatur à suscipienda noua parte durationis, ad quam sit in potentia.

Ad octauum negandum est antecedente: quoniam nisi Angelus duret, & conseretur per tempus verum aut imaginarium, non potest esse bonus & malus: cum enim non possit esse simul bonus & malus, necessarium placet, vt id habeat diuersorum temporis punctorum comparatione. Quemadmodum enim Deus ( quicquid alij dicant ) non potest producere Angelum, nisi eum alicubi producat, hoc est, in aliquo puncto, aut parte spaciij veri, vel imaginarij: ita neque potest eum producere, nisi coëxistentem cum aliquo momento vel parte temporis veri, vel imaginarij: in ipso igitur aut, atque duratione Angelii, vt coëxistit, ac correspondet vni puncto, aut parti temporis, potest esse prius bonus, & vt coëxistit & correspondet alteri, potest esse postea malus.

Ad nonum dicendum est, si eum Angelum reproducat Deus cum eadem prorsus duratione quam antea habebat, non fore successionem durationum in prima & tercia hora: sed eandem prorsus in alia, atque alia hora temporis successivi, sine coëxistentia, aut simul existentia, cum tempore intermedio: si verò eum reproducat cum alia numero duratione (quod, si libuerit, facere poterit) concessio antecedente, neganda est consequentia: quia si per tres horas sine intermissione duraret, duraret eadem prorsus duratione.

Ad testimonium Augustini dicendum est, illud intelligendum esse de aeternitate, vt tam diuinam, quam participantiam, quale est auum, complectitur: solum enim nützt Augustinus ostendere, tempus esse successuum. Dicatum quoque Gregorij verum esse collatione facta cum tempore: quo pacto in Angelis reperimus initium, in Deo verò minimè. Angelum verò id est afflere Angelum nondum habere de sua aeternitate quod futurum est, quia vt in posterum permaneat, opus est, vt tunc ei conferatur duratio, quae nondum pro illo temporis puncto ei confertur, potestque non confiri Deo subtrahente influxum, vt explicatum est: non verò quod putet, cum non debere existere tunc per eandem durationem, quia in modo exiit, si in posterum coëseretur. Ideo etiam

Molina in D.Thom.

B A diec Angelum iam non habere de sua aeternitate, quod præteritum est, quia licet modò habeat eamdem durationem, quam antea habebat, modò non confertur ei pro tempore præterito, sed pro hoc præsenti: vnde si antea non esset ei collata, sed tantum conferretur in præsenti, vt re vera confertur, in nullo præteriti temporis momento extitisset. Hæc autem longè aliena sunt ab aeternitate diuina: ex modo enim existendi, quem nunc habet in seipso, habet, vt ita coëxistat cum omni tempore, vt dari tempus cum quo pon coëxistat, omnino repugnet: eo quod complectatur omne tempus, & vnitè habeat latitudinem durationum infinitam. Ad testimonianum illud ex D.Hieron. adductum solet responderi, id intelligentem esse, quo ad aliquid, quia in omni re creata datur aliquid, de quo aliquid verum est dicere, fuit, & non est, & aliquid de quo aliquando verum est dicere, erit, & non est: vt de aliqua intellectione Angelii verum est dicere, fuit, & non est, & de aliqua, erit, & non est: in Deo autem nihil est formaliter, quod non sit aeternum. Posset etiam eodem modo exponi, quo D. Anselmum interpretari sumus.

### D I S P U T A T I O I I.

Vtrum præter aeternitatem, auum, & tempus, dentur alia durationes?

**D**IUS Thomas affirmat. Hoc enim loco in responsive ad primum, inferius q.63. artic. 3. quodlibet 2. artic. 5. & quodlibet 10. articulo 9. assert, plures operationes immanentes Angelii, vt plures intellectiones, quarum una succedit alteri, durare tempore discreti: singulis verò durare instantis temporis discreti. Cum enim intellectio aliqua Angelii, continuata, v.g. per horas nostri temporis, sit in se indivisibilis, & tota simul, perinde atque substantia Angelii, habebit sanè in se ipsa durationem indivisibilem, & totam simul, qua formaliter duret, vt habet substantia Angelii: huiuscemodi autem duratio alterius rationis est à duratione substantia Angelii: eo quod haec suapte natura destruitur nequeat, sicut & ipsa substantia Angelii, cuius est duratio: illa verò suapte natura definit esse una cum intellectione, cuius est duratio. Quia ergo definit esse, & secundum se est indivisibilis, non immerito appellatur duratio instantanea, licet coëxistat cum tempore nostro. Quia etiam ex pluribus eiusmodi durationibus diuersarum operationum, quarum una succedit alteri, coalescit una quadammodo integræ duratio, que appellatur tempus discretum, in quo cernitur prius & posterior ac successio, esse-ctum est, vt vnaquaque eiusmodi durationum appellaretur instans temporis discreti, ad differentiam instantis nostri temporis, quod per se continuum est. Cum D. Thomas in parte consentiunt Durandus in 2.d.2.q.4. Henricus quodlibet 12. q.8. Capreolus in 2.d.2.q.2.conclusio 3. & 5. Caietanus hic, & alij.

F Hoc etiam loco in responsive ad 1. & art. 3. precedente 3. contra gentes c. 61. & in 4.d.49.q.1.art. 2. questione 3. distinguunt D.Thom. ab omnibus durationibus numeratis aeternitatem participata, que sit duratio visionis beatissimæ, tam hominum, quam angelorum. Quare autem constitui soleat huiusmodi duratio distincta à reliquis, mox subiciemus.

Scotus in 2. d. 2. q. 4. in ea est sententia, vt dicat nullam aliam durationem constitutam esse præter aeternitatem, auum, & tempus. Et in 4.d.49.

D.Thomas  
de tempore  
discreti &  
stantie.

Aeternitas  
participata,  
quid ex sen-  
tentia Dini  
Thoma.

Scotus  
præter aet-  
ernitatem, &  
uum. Et tem-  
pus, nullam  
admitit du-  
rationem.

q. 6. §. de secundo, affirmat, duratiōēm visionis beatificæ non esse distinctam ab æuo. Argumentatur verò in confirmationē fūe sententia primō.

*Id probat  
primo.*

Quoniam quæ quamdiu durant, habent vñiformem modum durandi, habent durationem eiusdem rationis, esto vnum duret diutius alio: sed cognitio Angeli, licet minùs dure, quām substantia Angeli, habet eundem modum durādi cum illacum simul habeat totam suam durationem, non secus ac substantia Angeli: ergo haber durationem eiusdem rationis cum illa, ac proinde duratio ipsius est æuum, sicut duratio substantia Angeli.

*Confirmatio  
tur.*

Confirmatur hæc ratio, quoniam si Angelus esset crastina die in nihilum redigendus, adhuc duratio ipsius esset æuum: ergo quod operatio Angeli definit esse, non impedit, quominus duratio ipsius sit æuum.

Secundo, visio beatifica Angeli habet eundem modum durandi cum substantia Angeli: eò quod sicut substantia Angeli est tota simul, duraturque eis in aeternum, ita etiam visionis beatifica hæc eadem convenient: sed visio beatifica neque est magis perfecta, quām substantia Angeli, eò quod sit accidentis, neque est magis immutabilis, cūm vtraque possit desinere esse per sublationem influxus, quo conservatur, vñisq; tamquam accidens pœdeat à substantia Angeli, & non è contrario: ergo visio beatifica non durat aliqua excellentiō duratione, quæ dicatur aeternitas, sed potius duratione eiudem rationis cum duratione substantiae Angeli, quam æuum appellamus.

*Confirmatio  
tur.*

Confirmatur ex Fulgentio de fide ad Petrum cap. 18.3, tempore operum Augustini afferente, durationem visionis beatifica esse æuum.

*Postremo.*

Quod verò tempus discretum non sit ponendum, argumentatur: tum quod sine vlla necessitate constituitur: tum etiam quod intra horam nostri temporis possit vnum Angelus continuare plures cogitationes, & alijs pauciores, & ita intra idem nostrum tempus essent plura tempora discreta, quorum vnum esset maius alio: imò dum est vnum inflans tantum in voluntate Angeli, poterit in eodem Angelo esse tempus in intellectu, eò quod dum perficit in uno actu voluntatis, possit habere successivè plures actus intellectus. Plura alia similia argumenta affert eo loco Scotus.

*D.Thom.  
sententia de  
duratione  
substantiae  
corruptibili-  
tis.*

Est & alia controverſia hoc loco, vtrum scilicet substantia rei generatione & corruptioni obnoxiae, quæ in se est, permanens & non successivum, habeat durationem permanentem in se ipsa, qua formaliter duret, & quæ tota simul coexistat cum tempore, & cum singulis partibus temporis, in quo substantia illa existit: eo modo quo operatio Angeli, quæ in se est permanens, habet durationem permanentem, D.Thom. hoc loco, & articulo precedente ad tertium afferit, eiusmodi substantia, tempore, vt mensura, definitio: non tamè explicat, vtrum in ea cernatur duratio aliqua permanens, an non. Scotus verò in 2. d.2. q.4. affirmat, can habere in se durationem permanentem eiusdem rationis cum æuo, ac proinde æuo durare, quod formaliter in ea existit. Durand. quoque ibidem q.6. agnoscit in tali substantia durationem permanentem, qua formaliter duret: eam tamen appellat nunc temporis discreti: profterat quod sicut substantia, cuius est duratio, succedit noua substantia, qua generatur ex eadem materia, dum illa corruptitur: ita durationi illi succedit necessarij noua duratio substantia, quæ generatur. Eandem durationem affirmat Henricus quodlibeto 5. q.13. atque, ratione illius substantiam,

*Scoti sen-  
tentia.*

*Durandi  
sententia.*

*Henrici  
sententia.*

A cuius est duratio, non tempore, sed æuo, aut modo quodam æui, veluti mensura definiri.

Pro explicatione harum omnium difficultatum statuenda sunt nonnullæ conclusiones. Prima sit. Præter aeternitatem diuinam, & tempus, atque æuum tam Angelorum, quām aliarum rerum, quæ corruptioni suæ naturæ minimè obnoxia sunt, admittenda est in naturalibus operationibus immanentibus Angelorum duratio permanens ab æuo & tempore specie distincta. Admittenda est etiam alia ab his omnibus specie distincta, in visione beatifica tam hominū, quām Angelorum. Ratio huius cōclusionis hæc est, quoniam distinctio specifica durationum nō solum ex vario modo durandi, sed etiam ex multis alijs capiibus colligenda est, ex quibus in aliis etiā rebus colligi solet: vt res iuapta natura corruptionis capax vel expers sit, si ordinis supernaturalis, aut naturalis: si natura spiritualis, materiæ omnino expertis, aut corporeæ: hæc enim omnia ad minimum exigunt distinctionem specificam in naturis, quibus conuenient.

Aeternitas ergo distinguitur à ceteris durationibus, quod sit increata. Tempus autem distinguitur penes variū modū durandi, quod suæ naturæ, ac per se sit successivum: alia vero durationes vel sunt permanentes, vel successivæ per accidens. Illud tamen sciendum est, cūm in Angelis admittamus motum localē continuum, qui in ipsis sit subiectuè, vt inferius suo loco ostendetur, durationem successivam talis motus suo modo esse tempus, specie ratione distinctum à tempore, quod resultat ex motu rerum corporearum: est enim res spiritualis: spiritualis autem natura specie distinguitur à corporeæ.

Æuum distinguitur ab instanti temporis discreti, seu à duratione, qua operationibus naturalibus, atque immanentibus Angelorum cōuenit, eò quod sit duratio que suæ natura definire nequit, sicut neque ipsa substantia Angeli, cuius est duratio: duratio verò operationum Angeli suæ natura definit esse, sicut & operationes ipsæ: quod autem suæ natura corruptioni obnoxium non est, specie distinguitur ab eo, quod suæ natura definire potest. Distinguitur vero à duratione visionis beatifica, quod sit duratio naturalis: duratio verò visionis beatifica sit supernaturalis, non secus ac visio ipsa: quod enim suæ natura ad ordinem rerum supernaturalium pertinet, specie distinguitur ab eo, quod ad ordinem rerum naturalium spectat.

Æuum ergo ita potest describi. Est duratio rei creata, tota simul, naturalis, & corruptionis suæ natura expers. Per particulam, rei creata, excluditur aeternitas: per sequentem, rei citur tempus: per particulam, naturalis, separatur à visionis beatifica duratione: & per particulam suæ natura corruptionis expers, exploditur instans temporis discreti: & vniuersim excluduntur durationes rerū, quæ ex natura sua definiuntur posse. Id quod æuo durat, appellatur æuternum, seu res æuternæ. Cuiusmodi sunt substantia Angeli, animus humanus, substantia Cœli, & vt videtur materia prima, arque accidentia omnia necessaria horum omnium. Cum autem æuum substantia cœli sit quid corporeum: æuum verò Angelorum, arque humani animi res spiritualis, sit, vt specie inter se distinguantur: spirituale namque à corporeo specie distinguuntur debet. Vrsum autem operatio Angeli, quæ se ipsum cognoscit, æuternæ sit, nec ne, ex eo pendet, vtrum sit naturalis & necessaria, an verò libera, ita vt suæ natura definire possit. Si namque ita necessaria sit, vt suæ natura, & non per accidens, definire nequeat, æuternæ dicenda erit:

*Aeu defi-  
nitio.*

*Aeu ter-  
na.*

*Æuum non  
una species  
infusa.*

erit: si minus instanti temporis discreti durare dicetur. Quid autem hac de re sentiendum sit, inferius, dum sermo erit de cognitione Angelorum, examinabitur.

Instans temporis discreti distinguitur à duratione visionis beatificæ: nō quod sit duratio potens suapte naturæ cœlare, in quo etiā ab eō differt: tū etiam quod sit duratio naturalis. Quò sit, vt durationes rerum supernaturalem, sive operationes sunt, sive non sint, esto conuenient rebus, quæ desinere possint suapte naturæ, non pertineant ad instans temporis discreti, sed ad aliam speciem durationis, vt paulo infra dicens. Sub instanti temporis discreti non solum comprehenduntur durationes operationum naturalium spiritualium, etiam humani animi, sed etiam habituum, ceterarumque qualitatum spiritualium, quæ & naturales sunt, & desinere esse possunt suapte naturæ cùm pat sit de omnibus ratio.

Vt verò aliiquid de tempore discreto dicamus, animaduertendū est, illud non esse collectionem quarumcumque durationum, sed ratione, quæ non sunt simul, & quæ ita ordine quodā successuè fluat, vt posterior tempore priore subsequatur. Cū autem constet dari huiusmodi durationes, atque in collectione plurimæ earum cernatur successio, qua in re aliquo modo cum tempore nostro conuenit, nomināque imponantur pro arbitriatu, non est negligendum dari tempus in hac significatione. Nō est tamen unum per se, sed plurimæ rerum discretarum aggregationē, nequæ pertinet ad aliquam speciem quantitatis vt bene probat Scotus loco citato contra Henricum quodlibet 12.q.8. & quodā alios.

Duratio visionis beatificæ ex eo distinguitur à ceteris, quod sit supernaturalis: appellaturque à D. Thomæ peculiari nomine eternitas participata, non solum quod sit tota simul, in eternūque permaneat, qua ratione cūm etiam Angelorum appellatur supra articulo 2. & 3. eternitatem participatam, sed peculiari quadam alia ratione, nempe quod cum supremum gradum inter omnia entia creata, etiam supernaturalia, obtineat, per cām similiores Deo efficiuntur quam per quamcumque aliam rationem, duratio ipsius magis accedit ad durationem diuinam, quam quævis aliarum rerum duratio. Ferratiensis 3. contra gentes, cap. 61. existimat sententiam D. Thomæ locis citatis esse, visionem nostram beatificam eternitatem ipsa diuina veluti propria mensura definit, quæ formaliter est in Deo, atque in eamdem sententiam inclinare videtur Capitulo in 4.d.49.q.1. ad argumenta contra secundam conclusionem. Quod tamen paulo ante diximus, amplectendum est, & est communis inter lectorates D. Thomæ sententia. Illud tamen aduerendum est, qua ratione duratio visionis beatificæ, ac quod supernaturalis sit, distinguitur specie ab omnibus durationibus naturalibus: distinguit etiam debere durationem gratia, aliarumque rerum supernaturalem: non sunt tamen impotita nomina ad significandas singulas durationes specie distinctas, neque haec sunt fusus persequenda.

Illud, antequam secundam conclusionem subiungam, admonebo. Potest Scotum dicere: quemadmodum quantitas cœli desinere esse nequit, nō quidem ex se, sed ex natura subiecti, cui inest, & ob id est eiusdem speciei cum quantitate corporum inferiorum: ita quoque durationem substantię Angeli solum ex natura subiecti desinere esse non posse, non verò quantum est ex se, & ob id non esse specie distinctam à duratione operationum Angelorum. At certe adhuc duratio substantię videtur

Molina in D. Thom.

A species distinguuntur à duratione accidentium: maximè si dicamus, durationē idem prorsus esse cum exultatione rei, cuius est duratio, vt assertere videtur Scotus.

Secunda conclusio. Substantia rei generationi & corruptioni obnoxia, licet ut est subiectum motus, & quietis per suum proprium motum & quietem tempore mensuratur, habet tamen in se ipsa durationem permanentem & totam simul, quæ coexistit cum toto tempore, qua ratione motus & quietis mensuratur, & cum singulis partibus illius. Tota hæc conclusio ostensa à nobis est 4. Physicorum, ubi plura de hac re diximus. Secundam vero partem ex eo mihi persuadeo cum Scoto, Durando, & Henrico, quod substantia illa, præcisè considerata à motu & quiete, verè durat in se ipsa, non secus ac cetera res permanentes, & non secus ac celum, quod prater durationem sui motus habet aliam permanentem secundum suam substantiam, quia dicitur æcum: cūm igitur duratio substantiae considerata præcisè à motu & quiete, sit permanens & non successiva: sit, vt duratio illa permanens sit & tota simul.

Quod si quis petat, virum appellanda sit instans temporis discreti, vt vult Durandus. Respondeo, si nomine instantis temporis discreti intelligatur sola duratio rei naturalis, quæ & desinere possit, & licet spiritualis sit: tunc cūm duratio, de qua loquimur, corpore sit, & ab spirituali specie distincta, non esse ita appellanda. Si vero nomen sumatur latius, ita vt quemadmodum æcum comprehendit durationem corpoream eccl., instans quoque temporis discreti comprehendat etiam durationes corporeas, tunc appellari poterit instans temporis discreti: sed quod naturalis sit, & permanens, ac desinere possit.

Tertia conclusio. Non solum substantia rei corruptioni obnoxia, sed etiam vniuersæ res aliae corpore permanentes, habent suas durationes permanentes, vt lumen, actio, qua lumen conservatur: cognitio sensus durans per tempus sine noua intentione: candor, & cetera res permanentes. Hæc pater, quoniam vnaquaque carum rerum verè durat in se ipsa: cūm ergo sit res permanens & tota simul, durabit duratione permanente, & tota simul, sicut de aliis rebus permanentibus hæcenus dictum est. De rebus quæ successuè sunt per accidens, dicendum est, eas durare etiam propriis durationibus per accidens successuè.

Quod si quis petat, ad quodnam prædicamentum pertineant durationes omnes create. Respondeo, si sint successuæ, & continuæ per se, vt est tempus, pertinere ad prædicamentum quantitatis: ceteras vero pertinere ad prædicamentum quando. Quando enim non est aliud, quam res durare in aliquo tempore, aut instanti vero vel imaginario, cum quo coexistentes vero, quæ non sunt successuæ per se, suis propriis durationibus, quæ, saltem per se, quæ non sunt, coexistunt cum tempore, in illis durare dicuntur. Qui diceret, durationem cuiusque rei non esse aliud, quam existentiam eiusdem rei, existentiamque esse ens incompletum, reducique ad prædicamentum rei, cuius est existentia, vt supra q.3.art.4. disput. i. late explicauimus, dicturus esset, durationes omnes reduci ad prædicamenta rerum, quarum sunt durationes, quinque ad prædicamentum substantię reducigere tamē defendere posset, tempus esse speciem quantitatis à motu distinctam: vt Aristoteles affirmat, atque ex eo manifeste constat, quod habet distinctam quantitatem à motu, vt sup. artic. i. disput. 3. fatus aperte, ni fallor, demonstratum est.

H 2 Vlti

Tertia conclusio.  
Accidentia corpore per-  
manentia  
habent suas durationes permanentes.

Accidentia per accidens  
successuæ  
durationes  
habent per accidens successuæ.  
Durationes create si suc-  
cessuæ int per se perti-  
nent ad pra-  
dicamentum quantitatis.  
Cetera ad pra-  
dicamen-  
tum quando.

*Durations permanentes rationem non habent mensuram.*

Vltimum dubium in hac disputatione est, utrum durationes permanentes habeant rationem mensuræ. Atque in primis, si non distinguatur ab existentiæ rerum, quarum sunt durationes, planè non habent rationem mensuræ earundem rerum: quia nō possunt eas mensurare, nisi quod existentiam: nihil autem est mensura sui ipsius. Deinde vero, esto ex natura rei distinguantur ab existentiæ rerum, quarum sunt durationes, semper mihi visum fuit valde probabile cum Durando q.6. suprà citata, non habere propriæ rationem mensuræ: quoniam mensura, vt Arit. 10. Metaphysicæ textu 2. ait, *notum facit quantitatem*: huiusmodi autem durationes, cum indubitate sint, & totæ simul, nullam habent quantitatem: quare in se ipsis mensurari non possunt, neque appetat modus, quo quedam earum secundum se possint aliarum esse mensuræ. Quod vero coexistit cum maiori, vel minori tempore, quo pacto supra diximus vnam posse excedi ab alia collatione facta cum tempore, planè id non habent ex eo, quod una secundum virtutem sit maior quam alia, aut continet unum maiorem latitudinem duratiuum, quam alia, sed ex sola conservatione, ex qua prouenit, quod non desinat toto illo tempore, ut supra explicatum est: quare nō nisi habita ratione temporis, potest vna dici maior, quam alia, cum nimis per longius tempus conscriatur. Quod sit, vt semper ad tempus reducatur latitudo duratiuum ipsarum, neque aliter, quam per tempus verum vel imaginarium, in quo conseruantur, intelligi possit, etiam ab ipsis Angelis, aut quanta fuerit duratio cuiusque aut quo fuerit diurnior. Cui vero magis placuerit communis ferè Doctorum sententia, nempe quod rationem habeant mensuræ, liberum erit id defendere cum Caetano articulo sequente, & Capreolo loco citato ad argumenta cōtra vltimam conclusionem.

*Ad primum Scotti.*

*Ad confirmationem.*

*Ad secundum.*

*Visio beatificans posterior est exercitatio quæ substantia angelorum.*

*Ad confirmationem.*

*Ad postremum.*

Ad confirmationem, concessio antecedente, neganda est consequentia: quoniam vna desitio naturalis est, supernaturalis vero altera, nempe supra naturam eius, quod definir, res autem iudicandæ sunt ex eo, quod supra natura habent.

Ad secundum dicendum est, non propter illa, quæ in maiori & in probatione illius numerantur constitui specie distinctam ab ævo, sed quod sit supernaturalis, ut dictum est. Existimo tamen visionem beatificam esse perfectiorem quoad suam entitatem, quam substantiam Angeli: neque existimo vnum esse incommodum, quod accidens aliquod supernaturale supererit perfectione quoad entitatem omnem substantiam naturalem: sicut non est incommodum, quod aliquod non vivens, utpote corpus, pluribus viventibus perfectione antecellat: vt latius explicauimus 1.2. q.3. art. 2.

Ad Augustinum, seu potius Fulgentium (quoniam in eo capite nihil reperiatur) dicendum est, sumere ævum late, pro duratione videlicet sempiternum, quo pacto etiam Deus ævum eorum appellatur, Ad postremum, quo tempus discretum impugnatur, dicendum est, sine necessitate constitui, sive vnum per se, non vero si ut vnum per accidentem constitui: quandoquidem ex natura rei datur talis duratio, ut ipse etiam Scotus admittit: quam propter successionem possumus appellare tempus discretum: cum nomina pro arbitrio imponantur rebus significandis: reliqua vero, quæ ut absurdum inferri, nihil absurdum continent arbitramur.

## ARTICVLVS VI.

*Virum sit vnum tantum eum.*

**A**EGIDIVS Romanus creditit vnum tantum esse ævi, arque illud esse in Deo. Quod probat primo, quia quemadmodum tempus non est in re temporaria, sed in æuerna, nempe in celo: ita ævum non debet esse in re æuerna, sed in re aliqua superiori, hoc est, in Deo.

Secundo, quia si non esset in Deo, esset in supremo Angelorum: hic autem ex sententia Gregorij 32. Moral. cap. 24. & in homilia de centum ouibus, est Lucifer: quare sequeretur ævum beatorum Angelorum esse in inferno, quod est absurdum.

Sit tamen prima conclusio. Si ævum non habeat Prima conclusio. rationem mensuræ, tot sunt æva, quot æuerna; atque vnumquodque est, vt in proprio subiecto, in re æuerna, cuius est ævum. Probatur, quoniam tunc ævum nihil aliud erit, quam duratio cuiusque æuerni, vnumquodque autem æuernum realiter durat sua peculiari duratione, quæ in eo ipso, vt in proprio subiecto, existit: ergo tot erunt æva, quot æuerna, & vnumquodque in suo æuerno, vt in subiecto inhæretur.

Secunda conclusio. Si ævum habeat rationem mensuræ, datur vnum tantum ævum, quod quidem erit omnium perfectissimum, & prima mensura cæterorum, eritque tamquam in subiecto in supremo Angelorum: durationes tamen cæterorum æuernorum, habent etiam suo modo rationem ævi atque mensuræ, non tamen rationem primi ac potissimi. Prior pars probatur, quoniam supremum & perfectissimum in unoquoque genere est prima & potissima mensura cæterorum, tamquam quæ recedit maximè à variatione inter omnia, quæ sunt illius generis: si ergo loquamus de prima & perfectissima mensura, vnum tantum erit ævum, cuius subiectum erit supremus Angelorum.

Pars hæc supponit, in supremâ specie Angelorum non esse plures Angelos eiusdem speciei: si enim in ea essent plures Angelos eiusdem speciei & æquæ perfecti: plura essent æva æquæ prima, vt faretur Diu Thomas hoc loco. Si etiam Deus producet Angelum aliquem perfectiorem, duratio ipsius inciperet habere rationem primi ævi, & defineret eam habere duratio Angeli, qui modò est supremus. Præterea si Angelus, qui modò est supremus in nihil redigeretur, inciperet habere rationem primi ævi duratio Angeli, qui inter reliquos supremum gradum obtineret. Posterior pars conclusio probatur, quoniam nulla est ratio, quare durationes cæterorum æuernorum non haberent suo modo rationem ævi, atque mensuræ, licet non prima. Non plus immoror hac in re, quoniam idem prolsus dicendum est de vnitate ævi, quod de vnitate temporis diximus 4. Physicorum, vbi rem hanc diligenter expoluimus.

Ad primum ergo Egidij argumentum neganda est similitudo, quoniam in re æuerna, nempe in celo, non solum cernitur motus qui est fundamen-tum temporis, sed etiam cernitur perfectissimus & regulissimus motus: in Deo vero non cernitur esse creatum naturale corruptionis expers, quod est ævi fundamentum.

Ad secundum concedimus, ævum in supremo Angelorum extitisse. In primis tamen responderi potest cum Damasco 2. libro fidei Orthodoxæ c. 4. aperte innuente Luciferum nō fuisse supremum sero.

Ange

Angelorum simpliciter, fuisse tamen supremum eorum, qui praeerant terrestri ordini, quibusque à Deo commissa erat terræ custodia, honorēmque illum non ferentem per elationem corruisse. Iuxta opinionem verò Gregorij, & cōmūnem, ac veram, vt in materia de Angelis ostendemus, quidam respondent, nullum esse incommodum, quod supremum æuorum sit in inferno, in Angelo damnato. Alij dicunt, licet apud inferos sit, Angelos tamen beatos eo non vt in mensura suarum durationum, sed eius loco ut supra inter Angelos remanentes. Capreolus & Silvester recurrunt ad dona supernaturalia, dicūntque supremū beatorum Angelorum habere primum æuum: quoniā licet excedatur à Lucifero perfectione naturali, muleò tamen magis excedit eum donis supernaturalibus. Verūm hac ratione primum æuum collocandum esset potius in anima Christi. Præterea hoc loco sermo est de æuo, vt duratio est rei naturalis præcisè: quare sequenda est potius altera ex duabus prioribus solutionibus.

## Q VÆSTIO XI.

De vnitate Dei.

## ARTICVLVS I. &amp; II.

*Virum unum addat aliquid supra ens, & an unum, & multa opponantur.*

**H**ACTENVS demonstratum est Deum esse, dictūnque est de simplicitate, perfectione, bonitate, ac infinitate diuina essentiæ, atque de aliis, quæ cum his coniuncta sunt, aut ad existentiam Dei (cuius consideratio, in Deo potissimum, cum consideratione essentiæ est coniuncta) pertinent. Modò verò disputationem de vnitate diuinae essentiæ aggreditur. De quibus autem his duobus prioribus articulis querit D. Thomas, copiosè à nobis dictum est ad predicamentum quantitatis, & 4. Metaphysicæ, dum de passionibus entis sermo erat.

## ARTICVLVS III. &amp; IV.

*Virum sit unus tantum Deus.*

**D**eu<sup>rum</sup> vnu<sup>m</sup> affirmat, estque apertissimum de fide. Deuteronomij 6. Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est. &c. 32. Vide quid ego sum solus, & non sit aliis Deus praeter me. Isaia 45. Ego Deus, & non est aliis. 1. ad Corint. 8. Nullus est Deus, nisi unus. Et, Nobis unus est Deus. In symbolo Concilii Niceni: Credo in unum Deum. Mito plura alia testimonia. De contrario errore Manichæi, lege Augustinum de hæresibus 46. Latè eundem errorem impugnat in codice 6. tomo variis in locis. Lege etiam Epiphanius de hæresibus contra hæresim 66. & Castrum aduersus hæreses, verbo, Deus, hæresi 1.

Iisdem rationibus, quibus q. 2. a. 3. demonstrauimus Deum esse, potissimum verò 2. & 4. iunctis iis, quæ post quartam rationem ibidem subiecimus, satis quoque, ni fallor, aperte ostendimus, unum tantum esse Deum, qui totum hunc mundum corporeum de nihilo condidit, quique eadē potentia infinitos alios potuerit producere. Mirabilisque ordo torius vniuersi, atque accommodatissima dispositio etiam minutissimarum quaruncumque partium illius ad suos fines: quæ res ibidem ex parte explicata sunt, aperte

*Molina in D. Thom.*

A testantur vnum tantum esse primum principium totius vniuersi, à quo omnia sint regantur, & gubernantur. Quare cum vnum tantum satis sit, vnumque tantum testentur ea, quæ facta sunt, per quæ in cognitionem Dei deuenimus: eique, qui plures Deos affirmaret, onus id probandi incumberet (quippe cum neque vnum, nedum multi, sine efficaci ratione admittendus sit) nihilque reperire posset, vnde ve probable argumentum ad id conuincendum possit efficere, & insuper experiamur naturam ipsam rerum, per quam in cognitionem Dei deuenimus, superfluum abhorrete: sit vt vnum tantum Deus sit afferendus. Atque huius rationi, quod vnum satis sit, Aristoteles innixus afferuit 8. Physicorum, vnum tantum esse Deum. Aliam quoque adiecit 12. Metaphysicæ, videlicet, quod monarchia potior est principatus, quā vbi plures sunt domini: quare cum Deus sufficientissimus sit, non solum huic vniuerso moderando, sed etiam infinitis aliis si essent, neque potissimum tribuendum sit, quod ingius est: sit, vt monarcha sit, vnicūlve omnium rerum, etiam possibilium, dominus, ac proinde sit, vt vnum tantum Deus sit.

C Possimus idem confirmare primò, quoniam si essent plures numero Di, vel essent vnum specie, Confirmatur primò.

vel genere, vel vnitate analogica: nihil horum esse potest: ergo vnum tantum est numero Deus. Maior ex eo est manifesta, quoniam vocabulum, Deus, aliquid vnum debet primò significare, quod cōmūne esset pluribus Diis. A calu enim, vt vocant, imponi potest vocabulum, Deus, ad significandum vnum Deum verum, & lapides, aut ligna. Minor probatur, quoniam si essent vnum specie, aut genere, in vnoquoque daretur compositio ex genere & differentia, aut ex specie & differentia individuante: vnde sequeretur, in vnoquoque esse compositionem ex multis, quorum vnum se haberet vt potentia ad alterum, quo contraheretur ad esse huius Dei: quare Deus neque esset simplex omnino, neque aetus purus, quorum opposita quæst. & demonstrata sunt. Item id, que vnum ab alio differret, non esset in alio: atque cum id esse deberet perfectio simpliciter: quoniam quod internum est huic Deo, quā hic Deus est, perfectio simpliciter esse debet: profectò aliqua perfectio simpliciter deesse vnicūlve illorum Deorum, atque adeo neuter esset omnino perfectus. Quod si quis responderet, id: quod in uno est formaliter, esse in alio eminenter: tunc cum id, quod eminenter continet aliud, sit perfectius illo, idque quod in alio eminenter continetur, esse nequeat perfectio simpliciter, in illis Diis essent perfectiones non simpliciter, mutuóque Diis illis excedenter perfectione, quæ absurdissima sunt. Præterea, si Diis illi in aliquo conuenient, & in alio differrent, aliquid esset in Deo, quod minus perfectum esset, quā ipse Deus: nempe id, in quo vterque Deus conueniret, aut in quo differret ab alio: cum vtrumque esset perfectio, & Deus vtrumque includeret: vnum verò eorum esset extra essentiam alterius. Si verò essent vnum vnitate analogica, tunc cum ea, quæ solum sunt vnum vnitate analogica, aut etiam generica, non sint æquales perfectionis: vnum Deus esset perfectior alio, ac proinde ille tantum esset Deus: quandoquidem nomine Dei, perfectissimum inter omnia intelligimus.

F Secundò possimus idem confirmare, quoniam si essent plures Di, aut vnum intelligeret alium, aut non. Si non intellegeret: ergo esset imperfectus cognitione, ac proinde non esset Deus. Si intelli-

*H 3 geret,*

Monarchia  
potior est  
principatus,  
quā vbi  
plures sunt  
domini.